d. 42. x6
N2
12
A

12° Gam

Wassenberg
M. 21.859

<36606756190018

<36606756190018

Bayer. Staatsbibliothek

P.o. lat. 1599

EVERAR. WASSENBERGI

EMBRICENSIS

PANEGYRICI SELECTI, CUM PARÆNESI AD GERMANOS.

Libellus, omnibus bellorum omnium Imperii Romani Paciſque faciem nôſſe volentibus,

Perutilis ac neceſſarius.



BRUXELLÆ,

Ex Officinâ JOANNIS MOMMARTI, Ord. Brabantiæ Typographi. 1648.

46/62/771

franz Lindſer
1754.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Illuſtriſſimis & Excellentiſſimis Dominis,

DOMINIS,

JOANNI
LVDOVICO
COMITI *de Naſſauw, Catzenelenbogen, Vianden, Dietz, Hademar, &c. Dño in Beylſteyn, Sac. Cæſ. Maj. Conſil. int. Camerar. & Aurei Vell. Equiti.*

JOANNI
MAXIMILIANO
COMITI *à Lamberg, libero Baroni in Orteneck & Ottenſteyn, Domino in Stockern & Ammerang, Dynaſtæ in Styriâ, Sac. Cæſ. Maj. Camerario, & Conſil. Imper. Aulico.*

JOANNI
CRANE,
Sac. Cæſ. Ma. Conſ. Imp. Aulico, Comiti Palat.

ISAACO
VOLMARO,
Cæſ. Conſil. & Archid. Sup. Auſt. Cam. Præſ.

CASPARO
DE
BRACAMONTE
ET GUSMAN,
COMITI *de Peñaranda, Domino Aldeaſeca & Frontera, Equiti Ordinis de Alcantara, Adminiſtratori perpetuo Commendaria de Damiel Ordinis de Calatravâ, Regi Catholico ab intimis cubiculis, atque à conſiliis Statûs, Cameræ, & Iuſtitiæ; ad Cæſarem Germaniæq; Principes extra ordinem Legato.*

ANTONIO
BRVNO,
Equiti, & Catholicæ Majeſtatis in ſupremo conſilio Belgico, ac Burgundico, prope perſonam ſuam Regiam Conſiliario.

NEC NON

GEORGIO ULRICO,
Comiti à *Wolckēſtein*, *Baroni libero à Rottenegg, &c. S. Cæſ. Maj. Conſil. Imper. Aulico.*

LEONARDO RICHTERSBERGER,
Cancellario Auſtriaco, Sac. Cæſ. Maj. Conſil. Imperiali Aulico.

JOANNI WILHELMO GOLL,
Conſiliario Archiducali Oenipontano.

PETRO WEYMS,
Regiæ Catholicæ Majeſtatis in ſanctiori Conſilio Belgico Conſiliario.

JOANNI CUYERMANS,
Regiæ Catholicæ Majeſtatis in ſupremâ Brabantiæ Curiâ Conſiliario.

ATQUE ETIAM

JOANNI A GIFFEN,

Sereniſſimi Archiducis Leopoldi Guilielmi *Conſiliario, terrarum Epiſcopatûs Paſſavienſis ſupremo Iudici, Præfecto Schirmecenſi, &c.*

Sac. Cæſ. Majeſtatis, Regis Catholici, Archiducum omnium, totiuſque Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ ac Burgundicæ, ad Tract. Gener. Pacis, plenâ cum poteſtate Legatis,

Studiorum meorum Fautoribus ac Patronis.

ILLV-

ILLVSTRISSIMI
ET
EXCELLENTISSIMI
DOMINI
LEGATI,

BInæ potiſſimùm, gratitudinis & convenientiæ, rationes ad hanc audaciam, hoc opuſculum V^ris Excell^tiis dedicandi, impulerunt. Gratitudinis, quod nonnemo Veſtrûm (palàm dico, nec, prout plurimi, furtivè, vel in angulo, vel ad aurem; hoc enim eſſet non verecundiæ, ſed inficiandi genus) non tantùm Joanni Adolpho Comiti Swartzenbergico, amore erga litteras antiquis cum Africanis, Cneis Magnis, ac Mœcenatibus certanti, ſed ipſi etiam Sereniſſimo Archi-

duci LEOPOLDO GUILIELMO, Fautorum artium liberalium ac ingenuarum omnium coryphæo, non in vanum me commendaverit: convenientiæ, quòd hi Panegyrici, ex potiſſimâ ſui parte de Pace atque Bello, ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriam, eandemque nunc & Burgundicam directi; cujus univerſæ, iiſdem in negotiis, vos Excellentiſſimi mei Domini Patroni, plenâ eſtis cum poteſtate Legati. Vos enim Auguſtiſſima Domus Auſtria toto Imperio, Hiſpaniâ, Burgundiâ, Germaniâ, Belgio, ceu viros omni fide, zelo, prudentiâ, doctrinâ, & ipsâ rerum experientiâ probatiſſimos, quos ſummæ rerum ſuarum præficeret, elegit. Et me herculè non immeritò, ſi virtutem Veſtram in adverſa tot molimina, diver-

verſas machinas & tot conſilia noſtrorum hoſtium, tanto tempore, tot annorum ſpatio, luſtris integris, conſideremus. Quoties enim, non quidem Atticis aut Euboïcis, non Babyloniis aut Antiochenis (quamvis & hiſce non peperceritis) ſed illuſtrium animorum nobilioribus talentis bono publico in medium profuſis, ingeniorum Veſtrorum acies omnem in apparatum, vires omnes, omnes copias fœderati Orbis, legionibus variarum artium ſuffultas, aptiſſimè non direxiſtis, promoviſtis, admoviſtis! Quoties aperto Marte (liceat in pace, ad belli normam à Noſtris hoſtibus actitatâ, belli vocabula ac metaphoras uſurpare) fortiſſimè non conflixiſtis; inſidias cautiſſimè non declinaſtis, dete-
 xiſtis,

xiſtis, eluſiſtis; vel eluſas, detectas, & declinatas, aduſque odium noſtrorum hoſtium, Orbi candido in ſpectaculum non revelaſtis! Quoties nonnulla etiam, quæ perſpicaciſſimæ quidem mentis oculos non fugiebant, cùm fas tranſmittere, prudentiſſimè, pacis ſtudio, ſtudiò non tranſmiſiſtis! Bone Deus! ſi ſpes improba, ſi ambitio, ſi arrogantia, ſi præſumptio, ſi inſolentia, & ſubinde fallax & abblandiens Fortuna præferocem adverſæ partis contumaciam non ſuſtentaſſet, jam dudum, procul dubio, veſtris armis ſtrato Marte, debellato bello, lauro dicam an olivâ nobiles, immò lauro dicam & olivâ nobiles triumphaſſetis. Sed nimirum, inauſpicatò licèt, refragantis Fortunæ vitio, hucuſque mirâ noſtro-

ſtrorum hoſtium cum pertinaciâ conflictati, non tamen ideò ſucceſsûs gloriâ fraudandi eſtis. Prudentibus enim ac ſapientibus (cum Sapiente Latino dicam) *Pro effectu eſt, omnia ut efficias attentâſſe. Si omnia fecit ut ſanaret, peregit Medicus partes ſuas. Etiam, damnato reo, Oratori conſtat eloquentiæ officium, ſi omni arte uſus eſt.. Laus Imperatori etiam victo, & Duci redditur, ſi & prudentia, & induſtria, & fortitudo muneribus ſuis functa eſt.* Nempe *contra Fortunam luctata Virtus, etiam citra propoſiti operis effectum, ſemper eniteſcit.* Manet & manebit Veſtræ prudentiæ, conſtantiæ, virtuti, & amori Pacis ſua reverentia, ſuumque pretium & honor; quem ego quidem in devotas, prout cœpi, conferre paginas perſeverabo. Vos interim

Seneca lib. VII. *de Ben. c.* XIII.

Idem eodem lib. cap. XIV.

terim, Excellentiſſimi Domini Legati, hanc qualemcunque gratitudinis ac pietatis meæ teſſeram æquo animo acceptate, ac clienti Veſtro devotiſſimo favete.

Illuſtmis & Excellmis Dominationibus Veſtris

Æternùm devotiſſimus

EVERAR. WASSENBERGIUS,
Sermi Archiduc. LEOPOLDI GUILIELMI *Bibliothecarius & Hiſtoriographus.*

ÆTERNITATI
Auguſtiſſimæ
DOMUS AUSTRIACÆ.

CYnthius Auſtriacam latè floreſcere palmam
Vidit, & inſidiis invidiâque premi.
Et quid, ait, fruſtra miſcetis prælia Venti?
Stat contra veſtras Auſtria palma minas.
Hanc poſuit divina manus, pietáſque tuetur;
Hæc ſupra invidiam creſcet ab invidiâ.

ALIUD.

DIxerat Uranie: nunquam Sol vidit in orbe,
Imperium Imperio latius Auſtriaco.
Non tulit Ambitio tantæ præconia famæ,
Et cœpit ſceptris ipſa timere ſuis.
Nec mora; quidquid habet furiarum lividus Orcus,
Armat in innocui nominis exitium.

It

It labor in ventos, curæ ſumuntur inanes;
Ambitio in cælo eſt nata, ſed occubuit.

Zacharias Friedenreich, I.C.

PANE-

PANEGYRICUS
FERDINANDO
TERTIO.

IAM à viginti & aliquot annis, IMPERATOR, CAESAR, AUGUSTE, Tuam, Divique Patris, fortunam vel ruinam, aut timuit, aut ſperavit Orbis. Fractus enim circa duos FERDINANDOS, in utroque, ſuam, vel libertatem, vel ſervitutem; vel ſolatium, vel exitium, quærebat, aut metuebat. Et inſolenti præſumptione proſpera, vel adverſa, è duorum periculo metiebatur; dum ſummam rerum in illo Culmine libuit experiri, quod inclinari poſſe non videbatur, niſi dimidium unà raperet, nec firmari niſi dimidium ſtabiliret. Hinc utriuſque partis extremæ vires, arma, legiones, in abominabilem ſcenam prodiêre, ut immanibus crudelis Bellonæ prœliis noviſſima definirent. Sed non falſus minùs, quàm diviſus Orbis, circa rerum car-

dines, Polos mundi, & Auguſtam virtutum Auſtriacarum Majeſtatem caligabat. FERDINANDI cùm optimi, cùm ſummi eſſent, ſine libertate; libertas ſine optimis, & ſummis eſſe non poterat: adeoque nec ſumma rerum conſiſtere ſine FERDINANDIS, nec ruere FERDINANDI poterant niſi optimi laberentur. Summi autem & optimi ſine virtute, virtus ſine fortunâ eſſe non poterat; niſi virtutis comitem Fortunam eſſe Paradoxo negaretur. Placuit furori tamen cum virtute, temeritati cum fortitudine, pertinaciæ cum conſtantiâ certamen; & Gigantibus velut è terrâ natis, ſtolidâ præſumptione, rurſus Cæleſtia experiri: ſcilicet, ut Jovis fulmine iterum percuſſi, ſuis quoque montibus devolverentur. Placuit ambitionem, odium, æmulationem, invidiam, in alterius, neſcio cujus, fucatæ libertatis aſſerendæ ſpeciem veſtiri; ut nimirum, qui ſua tegerent, ceu à Menelao quodam deprehenſi, conatu irrito ſperarent aliena. Placuit Nationes, Gentes, Provincias, Regna, Populos, in exitium armari; per intervalla tamen & ſucceſſivè, ut videlicet Hydræ capita eſſe agnoſcentes, & ſubnaſcentia ſuum Herculem expe-

experirentur. Sic enim providentiam Divinam inter & Imperatorias virtutes convenerat, ne unquam univerſi ſimul inſurgerent, quò faciliùs Superis probatus mucro ſingulos feriret, & irriti conatus omnium, FERDINANDORUM arma, cauſam, Imperium commendarent.

Bellū Bohemicum,

Hoc fato Fridericus Palatinus primus omnium in arenam prodiit, initium certè, ſeu principium, ſi non cauſa belli. Quamvis enim diverſi in Imperio ſacrorum ritus, tranſactionum legumq́ue violatio, infida Pax, diffidentia partium, multorum annorum apparatus, mūltorum annorum arma, à multo tempore deſtinatos Duces, utrinque oſtenderent; tamen metu mutuo, in illa impía, & civilia bella, ſcrupuloſiùs proceſſiſſent, niſi Rubiconem ille prior, & temerè tranſiiſſet. Et in Bohemiâ, etiam poſt Slavatæ, & à Martinitz, præſtantiſſimorum Comitum, fidelium *Locumtenentium*, mirandos caſus, reorumq́ue pœnam, tumultu ſolo animorum æſtus deferbuiſſent, ſi patrocinium, ſi patronum, ſi ducem rebellio non inveniſſet. Is autem, ubi facem, ad hoc incendium, quo Germania deinde & Europa reliqua miſeran-

dùm conflagravit, impetu juvenili protulit, quicquid frons hucuſque non recta preſſerat, pudor abſconderat, tardârat metus; Majeſtatis, æqui, & honeſti, reſpectus inhibuerat, ſuis demum coloribus & lineamentis propriis, deforme ſe exhibuit: ambitio illicitis, avaritia alienis, manus capulo ſe admovit, ut nempe demeret auguſto vertici, quæ vi Mavortiâ firmaret ſuo. Illi Imperium, hic Bohemiam, Sileſiam, Moraviam, Auſtriam; iſte, quicquid Hungariæ adhæret Carpato, quicquid Danubio & Tibiſco alluitur, quicquid Savo Dravoque lambitur, re, ſpe, ferro, fraudibus, ſubducebat. Nihil relictum tamen à Cęſare, quod aut ſervandæ, aut reſtituendæ, miſeræ Pacis causâ poterat; quæ tot injuriis, & bellorum furiis agitata, aſylum nullibi, niſi in Imperatoriâ mente reſpiciebat. Certè miſerrimæ neceſſitudinis erat, tam vilem illis, gratioſam aliis, exilia quærentem Divam; & verò etiam, in pio pectore invenientem, uſque eò ſollicitè foviſſe, nunc alieno arbitrio, alienis armis, alienâ inſolentiâ, ad contraria compelli. Pax Cæſaris, Cæſar Pacis facie movebatur, quod utrinque tam conformi genio, quod

naturæ

naturæ datæ Cælo, Cælo communicatæ, beneficiis uti prohiberentur.

Sed jam Mars & Bellona adverſæ parti, ſuis quoque moribus conformi, diriore ſupercilio ſe conjunxerant, porrò Cæſari indignantes, quòd inviſæ Deæ, quam Imperio Romano jam exegerant, deſtinatus Imperator hoſpitium præberet; tardiùs arma, in ejus gratiam, expediret, & plus æquo, ejus commercio frueretur; ne cruorem ſuorum funderet, parceret alieno. Adeóque ferociùs perſequebantur: ipſi etiam, qui Imperatorios Imperatori deinde titulos voto jungerent, poſt ſceptra & Coronas ejus, Cæſareo quoque paludamento imminentes, unis, FERDINANDVM, reliquis Viennæ mœnibus incluſerunt; tum quoque imparatum ad omnia, præterquam Pacem. Et nunquã (fateor) in tam arcto ſalutis, exitiíque confinio fuimus. Jam enim, & Hungaria, & Bohemia, & Germania ferè integra inimicorum erat, & ibi penes hoſtes quaſi Imperium, hic Ipſe obſeſſus, &, ſi virtutem excipias, inermis, & quâ fiduciã Imperator! Jam, in circuitu, ſubditorum plurimi, rebellium Magnatum caſtra rebelli corpore; propè omnes animo

Qu-ntis Ferd. II. in anguſtiis.

ſequebantur. Jam in Viennâ ipsâ, Viennenſes ipſi, Viennam diſtinxerant, & intus Dominum habentes, extra agnoſcentes, atro carbone Lares ſignaverant qui perirent, alio qui ſervarentur. Jam XVI. VIRI, faſtu intolerabili, triſte Palatium ſubeuntes, quicquid extorquere conceperant, ſuperbâ periodo ſupplicabant, & (grande nefas!) præ ſacrâ dexterâ, & manus oſculo, Cæſarei thoracis nodulos prænſantes, reſponſum libello ſupplici urgebant, in quo nihil humile, nihil ſupplex tamen, excepto vocabulo, legeretur. Nec ignorabant, qui foris arietes ruinæ mœnium præparabant, paucos in urbe Dominâ, cum Domino ſentire, plures ſecum.

Inſolentia hoſtium ipſius.

Et jam, ceu debellatum eſſet, ſacrum illud, & Imperiale labarum, cui tandem devotâ linguâ ſacramentum dicerent, impiâ lacerabant, & Romanam Aquilam, malevoli, per Europam paſſim, voce publicâ & ſcurrili ære, roſtro, plumis, unguibus, exarmabant. Novimus * Paludoſum illum Orbis angulum, licentiam pravo libertatis nomine larvantem; cui æquè pronum, pingere, quàm evaporare bella, & , inſigni cum

** Hollandos notare videtur, qui tempore diſſidii Regē*

cum Monarcharum injuriâ, damnatâ libidine, in cunis formare Principes, in bove Reges. Sed procax, & Lernæa Vipera, ſibilare deſine, ne, cùm in omnes venena ſparſeris, exarmata, fias pabulum quos irritaris. Et vos, quibus imprudenter ſatis, & impudenter, prælio, vel ſucceſſu, bella, non fine, metiri libet, ſuſtinete modicum, & mox, ab eventu rerum,

Dania averſo corpore in bove, & Ferdinandū Cardinalem, Belgium intrantem, in cunis are expreſſerant.

Diſcite Iuſtitiam moniti, non temnere Divos.

Deus eſt, qui, ut ſuam potentiam glorioſiùs exerat, humanā ſæpe nonnihil reſecat; & nonnunquam ſimulat alienos, quos deinde ſpecioſo miraculo probet ſuos. Nondum creditis profani? Aſpicite cum Fortunâ luctantem Cæſarem, preſſum non opprimi; vobis victum non debellari; debellatum, ne vinci quidem potuiſſe. Advertite in virtutes nihil, has in vitia prævalere; & periculoſum cum juſtitiâ certamen eſſe, quæ, ſuſpiciendo ſtrategemate, progredientia non ſiſtat, ut ſternat ſumma. Sufficiat in exemplum Vobis qui bella geritis, qui geretis, fruſtrà FERDINANDOS oppugnari, quos, jam provinciis exutos, Viennæ clauſos, ab hoſte foris, intùs à Civibus, in Palatio ab inimicis, gra-

Cæſar, omnibus ex anguſtiis, mirabiliter emergit.

viter impulſos, tamen cadere non potuiſſe reſpicietis. Vt primùm enim Majeſtas Principis, Divinæ ſupplex, Cælos penetrantia arma expedivit, Deus ſubitò velut è machinâ proſpexit; & à Leopoldo Fratre, Santhilierio ductore, legione equitum acceptâ, fregit hoſtes, firmavit ſuos. Mox apparuit, ad Divina præſidia, humana labi; & ibi fruſtra ſupernè * lanceas oſtendi, ubi infrà portarum rictus Catarractis aliis Providentia muniret. Agnovêre ſerius Titanes improbi, ſe, in FERDINANDIS, Superos irritare; & ab iiſdem, quibus, quodam compendio, ruinam ſperaverant, ſibi imminere. Momento enim circumacta res eſt; & opinione celeriùs Boëthianum illud in ſe veriſſimum compererunt:

Quicquid præcipiti viâ,
Certum deſerit Ordinem,
Lætos non habet exitus.

** Lanceâ enim perduelles Cives, è ſummitate rubræ portæ, Turriano Comiti Vrbem obſidenti, proditionis ſignum dederant.*

Vincit hoſtes.

Quippè nullos aut Fortuna pronior comitata, aut fatigata reliquit. Poſtquam enim Divo Cæſari Cæſarea Majeſtas, ipſius quoque gladio, quaſi gladio Henrici Divi, deſideratus capulus acceſſit: quo præhenſo Divinus Hercules, Chriſtianus Samſon, ruptis vinculis, omnem illum *in ſe Phi-*

li-

liſtiim feliciſſimè diſſipavit. Nodelitiam Langeloſa, Langeloſam Sitſendorffiũ, Sitſendorffium Rakonicium, Rakonicium Praga excepit; & noviſſimè omnis illa Bohemo-Palatina felicitas, à MAXIMILIANO Bavaro, ex Albo monte, ceu Tarpejâ rupe, præcipitata, fatum ſuum & exitium, quod Cæſari diſtinârat, fractâ velut cervice, ſubiit. Tum denique effrænes illos ad Oceanum ſuæ temeritatis, temerarios præſumptionis, præſumptuoſos impudentiæ, & abominabilem Chalcoglypten ſui æris puduit, poſtquam, tam inſigni Cataſtrophe, victricem Aquilam, alis, roſtro, unguibus, in rebellium Leonum barbam prævaluiſſe; quin & jubâ æmulâ exornatam, quaſi triumphantem Majeſtate geminâ conſpexit. Et hucuſque in utramque partem ſollicitus, & ſuſpenſus Orbis, dejectum *ſolio* viciſſe ſtupuit; excidiſſe ſuo, alieno nixũ. Ut intelligeret nimirum, æquitate ſolâ humanam potentiam ſtabiliri; & fluxa eſſe, quæ Juſtitiâ non niterentur. Jagerndorffius & Anhaltinus, Mansfeldius & Brunſuicenſis, Durlacenus & Anſpacenſis, Turrius & Bethlenus, propè nomina ſine Numine, prope Numina ſine nomine,

adhæſerant, trahebantur; & acceſſorios fuiſſe patuit, cùm ruinam unius omnes ſequerentur. Adeóque jam, immani velut Augiâ debellato, fœdóque ſtabulo, novo quodam ab Amphitryoniade, diverſis in Provinciis, repurgato, Concordia Divina illa, ceu Aſtræa quædam, pulſa terris, recepta Cælo, ad nos deſcendere Germanos cœpit; quam præhenſam, flagranti ſtudio, zelóſus Cæſar, annos aureos, ævum aureum ut reſtitueret, ab exilio, quaſi dexterâ reducebat. Sed neſcio quæ Erinnys, quaſi mediâ è Germaniâ, in Belgas velox, rate Batavâ, in obliquam Galliam, & diviſos Orbe Britannos vecta, inde, voti compos, in Aquilonem flexerit, visâque Pharo, portum ſubiens, novam belli molem in FERDINANDOS expoſuerit.

Bellum Danicũ. Præerat ibi Daniæ Regno CHRISTIANVS IV. prudentiâ & ætate Princeps jam maturus, judicio ſublimis, animo generoſus, mari potens, terrâ firmus, & qui, Cimbricum ultra fretum, continenti, ultra Oceanum inſulis, dominabatur. Erat ingens divitiarum famâ, & à longâ pace, & oportunitate Regni; cui tum largius, etiam in damnum tertii,

conſenſu Fœderatorum, ceu pro bono publico dimicaturo, hinc inde nervum belli, ab utroque latere, Balthicum & Germanicum, maria exæſtuabant. Francia, Anglia, Batavi, ſub Mansfeldio & Brunſuicenſi ducibus vires ſuas, ſua arma, ſuos exercitus, & quaſi bella integra, claſſibus ſubvehebant. Et tantis viribus ſuffultus Rex, ſuarum etiam terrarum populos, Sigulones & Subalbingios, Cobandos & Chaluſios, Funduſios & Harudes, Cimbros & Normannos, ſub hiſce nominibus jam olim notos, ac Belgicis, Anglicis, Gallicis, Romaniſque cladibus præſumentes, adjungebat; quem & à fronte lacinia Venedorum, & inferioris Saxoniæ circulus, & vicini Principes, ceu loricâ quâdam firmaverant, & à tergo Reges. Ipſe etiam ut reliquos dignitate, ſic militaris rei peritiâ præcedebat, quam vel in ipſum GUSTAVUM ADOLPHUM, adeò vicinæ Sueciæ ſuæ magnum, oſtenderat; nec abſque manifeſto hujus periculo, niſi fata illum Germaniæ, Germaniam illi in exitium deſtinâſſent. Ergo in CHRISTIANO uno, Regum Daniæ, vetus illa, ac in tantùm à Grammatico illo Saxone, decantata felicitas,

tas, Canutique fortunâ Magni, ſtupendæ vires, in Imperium timebantur; valituræ forſan, ſi in alios, nec in FERDINANDO s impegiſſent. Sed tum, ſic ordinante Deo, Viſurgim ultra, niſi metu, non proceſſêre. Sua enim Cæſarem, verſùs Daniam, fortuna comitata eſt; &, tot ſubſidiis ſubnixus Rex, tamen Hammeliæ privatâ ruinâ publicam præcepit, & mox publicâ privatam conſummavit. Tillius enim ad Hannobriam, ad Calenbergam, ad Seſam perculit; & ad Lutram tandem, fortiſſimè dimicantem, gravi, quod ipſe minatus fuerat, prœlio devicit. Senſit Rex fruſtra baliſtas dirigi, aciem inſtrui, alas phalangeſque diſponi, ubi cornua Superi non firmarent; & multum humanæ prudentiæ virium ineſſe, plurimum æquitati. Quippe clades cladibus ſucceſſêre, & Mansfeldius, jam antea à Wallenſtenio, ad Serveſtam, ſtrage maximâ conciſus, fruſtra quoque, quæ in Saxoniâ non ſucceſſerant, in Sileſiâ, Hungariâ, Tranſylvaniâ, Turciâ, bella faciebat. Quippe Antæus improbus, in quibuſcunque terris vires cæperat, ſuum Herculem ſentiebat; tandemque fortunæ Cæſaris indignatus,

tus, ſuam, & exercitûs, & Fœderatorum omnium, animâ ſequebatur.

Hinc ergo, unde venerat, reverſa moles, à Meridie & Oriente, Septentrioni graviùs incumbens, Viſurgim, & Albim, & Storam ultra, in ipſam Cherſoneſum Cimbricam proceſſit; &, quicquid hoſtile reliquum, in Wagriâ, & extremâ Jutiâ, ad Alburgum, Slickianæ felicitati Fortuna contulit. Cæſi exercitus, aut ſub jugum miſſi, & Cæſaribus FERDINANDIS, Othonis Magni in Haraldum, ſucceſſus maximos antegreſſis, ab ultimâ, verſùs Boream, Cherſoneſi ſpeculâ, non tantum Septentrionem victricibus uſurpare oculis, mittere lanceas in adverſum mare, ſed & altiùs, & ſolidiùs triumphare licuit; niſi ſuam ſibi, vanitate ſpretâ, pro triumpho modeſtiam habuiſſent. Nunquam enim Sacratiſſimis Imperatoribus, clades ſuas, etiam devictis gentibus, exprobare libuit; ut qui, cùm Victorias à Cælo acciperent, humani nihil à ſe alienum ſcirent. Ad arma nunquam niſi provocati, in nullius terram, niſi laceſſiti venerunt; ſatisque conſtat terrarum Orbi, offendere non voluiſſe, nî fuiſſent qui defendere coëgiſſent. Et in ip-

ipſis ſucceſſibus, ſolo nomine, & Divorum munere, contenti, qui nullius unquam, niſi ſuam, quæſierant, nullius terram, niſi ſuam cupiebant. Agnovit Rex fortunam Cæſarum, vidit ſuam; & his virtutibus, ceu quodam ſidere irradiatus, mirâ viciſſitudine rerum, quos ipſe vincere propoſuerat, non nimis viciſſe doluit, cùm jam ab hoſte ſperari amplius, quàm amicis expectari, alto ſuo judicio prȩvideret. Et fœderatis Regibus vires ſuas, ſibi fœdere & promiſſo debitas, uni Rupellæ Gallicæ perperam illidentibus, vicinorum quoque, non minùs perperam oblata ſubſidia, cautus Rex, & porrò videns, timere, hoſtium ambire didicit; ut qui nimirum, tum demum, nec ſine indignatione, adverteret, fallacis amicitiæ conſilia ſpirare ultrà * quàm Cæſar armis, ferro, victoriis intendiſſet. Non diu itaque, ſic utriuſque partis affectos animos, Superi ſuſpenderunt, & victor Cæſar, quæ bello ſubegerat, pace reddidit, nec à Regȩ quicquam petitum amplius, quàm in FERDINANDORUM mores ſuccedere, id eſt, præter ſua nîl ambire. Hinc deinde tam arcta illa animorum unio, ex conformi virtutum

* *Hollandos notare videtur, qui fretũ Danicum (Sendam vulgò) ambiiſſe dicebãtur.*

Ma-

Majeſtate coaluit, ut, qui generoſiſſimè bellum geſſerant, pacem æquiſſimè ſervarent.

Et jam, non abſque magno favore Cæleſtium, nuper Viennæ mœnibus, imò palatio & conclavi, Majeſtas preſſa, ab illis initiis, ad uſque Hadriam, ad uſque Balthin, ad uſque Thraciam, Bulgariam, Boſniam, & Oceanum uſque Germanicum, progreſſa, Europam impleverat; & fidelium ſubditorum obſequia, vicinorum, & terrarum Orbis reverentiam, provocabat. Jam Rex Germaniæ, Cæſar Imperio, Auguſtus Mundo, numeroſis Legionibus, priſcam Romani populi magnitudinem repræſentans, potentiâ, moderatione, clementiâ, Trajanum, aut Julium exprimebat. Jam Orientem & Occidentem, biceps Aquila reſpectans, bonis præſidium, metum malis, fiduciâ virium faciebat; cùm illi fallaci Dominæ, Fortunæ dico, inſigni experimento, FERDINANDORUM animos, explorare libuit, an videlicet, qui rerum naturæ partem alteram, ad ſtuporem omnium, toleraverant, alterius pellacibus inſidiis non paterent; & qui, adverſis nuper graviter impulſi, viâ regiâ non deceſſerant, ſecundis

Ferdinādi ad invadendā Italiā & Galliam fruſtra incitantur

non

non moverentur. Ad hòc, quò fortiùs falleret, miniſterio hujus ſæculi ſapientum uſa, admovit ſolidam, & ſpecioſam argumentorum aciem: Italiam, tot Provinciis, tot Principibus, ac Dynaſtis, nec unâ Republicâ diviſam, hinc infirmam, paulatim tamen Imperio, quoad Regalia, ſe temerè ſubducentem, ad officium redigendam; in illâ decere ſe maximè Imperatorem oſtendere, quæ nomen olim Imperatorium contuliſſet. Poſſideri terrarum clauſtra, Tellinas valles, Duceſque ſuos, juga montium tranſgreſſos, ad inſtar fulminis, Cælo miſſi, obvia ſtraviſſe; facillimè ſecutura reliqua, ubi omnia, vicina, & procul poſita, terror præoccupâſſet. Quin & continuâ Victoriarum ſerie, attonitam, & inteſtinis tunc motibus diſtractam Galliam, eamque ipſam Italicorum motuum non cauſam minimam (ob inſidias Mediolano Nobiliſſimo illi feudo Imperiali ſtructas) invadendam; Metas, Tullum, & Verodunum, Epiſcopatus, Imperio Romano, propè jam à ſæculo, detractos, reducendos bello; ut, qui eſſet nomine, re oſtenderet ſe Auguſtum eſſe. Nec referre, cum Rebellibus, Rupellanis, an Hugenottis,

LUDÓ-

LUDOVICUS bellum gereret; ſcire Orbem CAROLO V. Imperatori, itidem cum Proteſtantibus belligeranti, ſic extortos. Æquiſſimâ talionis lege, quinque exercitibus diverſis, ut feciſſet Gallia, Galliã exerceret.

Hiſce Machinis, ut ſuâpte naturâ potentibus, ita periculoſis, arietatos FERDINANDORUM animos, inexpugnabiles Fortuna ſenſit; ſenſit animatam conſtantiâ virtutem indurari malis, proſperis non emolliri. Ut ſemper optimos, ut ſemper ſimiles, etiam in adverſis, ſic vel maximè nunc in ſecundis, prorſus ſuos, prorſus Cæſares, & FERDINANDOS, nunquam alios experta, ſtupuit. Non avaritia, non ambitio, etiam

——— *Sub recti ſpecie,*

Principibus imponens, tenerrimæ conſcientiæ ſcrupulos effugit: & hoc jam nullo miraculo; cùm ſanctos Principes, & hæc terrena velut Numina, oculatiſſimum Cæleſte Numen habitaret. Ubi Divina Majeſtas humanam impleverat, incaſſùm nebulas fallax ratio, & mundana prudentia admovebat, ut, quæ lucem aliis miniſtrat, ipſa caliginem non admittit. Quare tantum aberat, ut trans Alpes, in Longobardiâ, libertatem publicam

Ferdinandorum cõtinentia reſpectu Italiæ.

cam imminutam vellent, ut Venetos, nequicquam altiùs tum ſuſpicantes, & prudentiâ ſuâ lapſos, non magis acceptæ cladis, quàm Cæſares partæ Victoriæ pœniteret. Ut Veronam, Magnæ Reipublicæ magnam Urbem, jam metu ſuam, armis etiam facere inhiberent, idque rarò integritatis, continentiæ, ac moderationis typo, in medio Victoriarum curſu: Quid hîc, obſecro, niſi æquum? Ut magnum Principem, poſtquam debellaverant, ditionibus inveſtirent; ac, promiſſis Gallorum fiſi, de inſidiis Mediolano non ſtruendis, revocato milite, deſertis Alpibus, Curiâ, & Tellinis Vallibus, etiam ſuſpicionem belli, his, qui bella ſuaſerant, amolirentur. Honori laudique Scipioni Africano fuit, quòd, Aſiatici Legatus, eaſdem pacis Leges, quas Antiocho adhuc Magno dederat, victo & minori, ſed beneficio ſibi cognito, non mutârit; at quantò altiùs, hac in parte, Auguſta Cæſarum moderatio evehenda, quæ, injuriam cûm accepiſſet, contenta Victoriis redemiſſe bella, devictos populos, non ablatâ, ut ille, terrarum parte, nec auri pondere multavit, ſed tum demum fecit Principes, cùm debellavit.

Quid jam, de malefidâ (ut non obſcurè, etiam poſt initam Ratisbonæ pacem, indicia docebant) Galliâ invadendâ; quid de recuperandis Urbibus, vindicandis Epiſcopatibus, ſenſerit, quid reſponderit Imperator, eo præſertim tempore, quo ſe LUDOVICUS maximè, & extremùm quaſi, Chriſtianiſſimum, in Hugenottas, oſtendebat, quivis facilè conjectârit, qui tales in Italiâ FERDINANDOS viderit. Abhorruit Cæleſtis animus abominabiles Sirenum cantus; utilitatem protinùs damnavit, cum Religionis diſpendio venturam. Imò ne utilitatem quidem vocare libuit, quod quoquo modo, cum Eccleſiæ Orthodoxæ damno, conjunctum eſſet. Nunquam enim Religioſi Principes, bella ſatis juſta, cum jacturâ fidei; nunquam, per ſe juſta, non juſtiſſima, cum profectu ejus crediderunt: Ut qui nimirùm terrarum rationem aliquam, ſacrorum maximam jugiter habendam cenſuêre. Nemo non ex illis potiùs Auguſti nomen, ex propagatione Religionis, quàm Regionis quæſivit; ambiendam, ampliandam aliquando terram, nunquam inferos, ſemper Cælos, exiſtimârunt. Maluit itaque Divus Cæſar, in Germaniâ,

Eorundē cōtinentia & candor reſpectu Galliæ.

Con-

Conſtantinum, imò FERDINANDUM agere, & Franciſcos ejuſmodi vicinæ Galliæ non invidere: maluit, ſuo etiam commodo neglecto, pro bono fidei, ſi placuiſſet, LUDOVICUM Socium, quàm damno hoſtem.

Galli in Ferdinandos.

Sed, ô mirabilem, ſtupendam, & abominabilem, converſionem dicam an perverſionem rerum! Dum Sacratiſſimus Imperator, candori alieno æquè ac ſuo fidens, à Galliâ in Germaniam ſe convertit; dum Eccleſiæ profectum, ne in alieno ſiſteret, in ſuo quærit; dum Epiſcopatus, juxta normam conſenſu partium firmatam, ut hîc repeteret, ibi, reſpectu ſcandali, repetendos differt; Dum pro zelo fidei Regem unum, Regnum unum, ut amicum habeat, multos, etiam Domûs ſuæ, Principes offendit; dum arma, dum ſacras Aquilas, ut Acatholicis opponeret, à Vicinis, & Catholicis divertit; & verbo ut abſolvam, dum gratiam, quam præſtiterat, expectat, incautus ab ingratis occupatus eſt. Mox enim LUDOVICUS, ſcilicet ille Juſtus, in Divum Cæſarem, quod hic in illum abhorruerat, ſe Franciſcum iterum, & obliqua Gallia, ſe rurſus Galliam oſtendit; ac bonis omnibus, poſt tot

fœdas

fædas bellorum tempeſtates, Eteſias non deſperantibus, ab ultimis Aquilonis, & Orientis angulis, aliam longè fœdiſſimam excivit. Nimirum ut iniquitate Juſtitiam, vitiis virtutem, zelum ſcandalo, amorem odio, candorem fuco, probitatem & pietatem, propè dixerim ſacrilegio, penſaret. Ut pace, fide, Eccleſiâ, & bello, & ferro, & ſuperſtitione preſſis, ſuſque deque cuncta verteret, &, penitus oblita ſui, Chriſtianiſmum Chriſtianiſſima, & hoc tamen, ceu per accidens duntaxat, lancinaret. In ea quippe tempora nati ſumus, ut uni cuidam, cui neſcio, *Rationi ſtatus*, Deus, Dæmones, Cælum, Inferi, & quicquid olim, & nunc etiam, bonis omnibus præcipuè curandum, timendum, aut ſperandum eſt, & erat, vile & exile, vanum, imò frivolum videatur. Huic divina, & Cæleſtia, neglecta parum; virtus, fides, religio, proſtituta minùs; aræ, templa, Eccleſiæ profanatæ, nihil ſunt, modò illa, modò unica (ruant cætera) conſervetur. Ad hanc tuendam, & Turcus, & Infidelis, & Tartarus, & ipſa Tartara quoque ſerviant; pro quâ videlicet nihil impium, in pietatem. Veniant à Glaciali Oceano,

no, à Pigro & immoto Mari, à portis Caſpiis & Euxino, à Boſphoro Cimmerio & Mæotide Palude, &, ſi quid Barbarorum adhuc ultra Caucaſum, & Imaum latet, aut ulla unquam in Imperium Romanum, Barbaries inimica fudit, pro hac in Cæſares, & horum cauſâ in ſanctam Matrem, in Eccleſiam armetur. Tanti quippe intereſt FERDINANDOS extirpari. Et licèt hi, cum LUDOVICO, Galliam ſervare voluerint, ne Religio periret, tamen illa Religionem perire mavult, quàm Cæſares ſervari.

Gallorum fœdus cũ Suecis. Ad hòc GUSTAVUM, illum hæreditariũ Catholicæ religionis hoſtem (quippe cujus Pater, eâ quoque causâ, certè titulo, SIGISMUNDUM, Dominum & Nepotem ſuum, regno exegiſſet) cum Septentrione, cum Oriente, cum Meridie, cum Europâ propè integ â, & terrarum Orbe; in Imperium commovit. Nunquam enim tantum populorum, tantum gentium & terrarum, quantum cum hoc Principe, clàm palàmve, ſimul inſurrexit. Ad hunc enim in Boruſſiâ, cum fortiſſimâ Polonorum gente, jam biennium, eventu vario, belligerantem, præeunte Galliâ, tunc fidiſſimi Acha-

tes

tes Batavi, Britanni Socii, Moſci Barbari, Tranſylvani perfidi; nec penitùs excludam Italos, congregati, in fœdera coïerunt. Ut Regius ille vates FERDINANDOS, hoc verſiculo quaſi reſpexiſſe tum videatur: ASTITERUNT REGES, ET PRINCIPES CONVENERUNT IN UNUM, ADVERSUS DOMINUM, ET ADVERSUS CHRISTUM EIUS. Quin & fata, Ioviſque Diphtheram, profanus animus tractare auſus, totum, quaquà patet, Orbem, ac univerſum mortale genus, in partes ſegregavit; quos ſervos, quos Dominos habere vellet, qui pellendi, qui reſtituendi Preſules; qui evertendi Reges; qui firmandi; qui in bella, qui in Pacem; qui in fœdera concitandi Principes, qui exhauriendi populi, qui ditandi; quæ Gentes, quæ Familiæ extirpandæ, aut ſervandæ; reſpectu unius Auguſtæ Domûs, inſolenti auſu, calculo, ac bilance, à pauculis libratum. Et quaſi jam humanæ mentes, humana potentia, quicquam præter Deum, aut Divina, ſine hominibus nihil poſſet, ſic temerè & præſumptuosè, bella, pacem, fœdera, & inducias, & tantum non proſpera & adverſa, fortunam & ſucceſſus, per Orbem paſſim

nationibus diſpenſabant. Sed Majeſtas illa ſuprà nos, quæ ſola Reges, quæ ſola Principes, Regna, Principatus, firmat aut evertit; quæ Monarchias ſola & Monarchas erigit aut proſternit, quæ ſola humiliat aut exaltat, ſola minuit aut magna facit, ſola unit, dividit, ſeparat, aut conjungit; & unico ſuo nutu, ſola pacem, inducias, & fœdera, rata, irrita eſſe præcipit; illa, inquam, quæ ſola poteſt, quicquid vult, & nihil vult quod non poſſit, hos inſolentes & Gigantæos auſus, quoſdam in ipſo partu jugulare cœpit, quoſdam diſtulit, quorundam jugulum etiamnum prendit. Quippe NON EST CONSILIUM CONTRA DOMINUM, & humanæ mentis adulterini, ad ingenuos Divinæ fœtus, paulatim aut protinus exanimantur. Quicquid enim ſine Deo concipitur, infirmum, quia contra potentiam; temerarium, quia contra ſapientiam; impium, quia contra Divinitatem.

Diſpoſitio divina circa fœderatos. Placuerat Bethlenum Gaborem, ad arma virum venalem ſemper, at nunquam hoſtibus vel amicis fidum, nunc potentiùs, affinitatis jure & fiduciâ, in Cæſarem armari; ſed alio decreto Superum, priùs animam, quàm bella movit; ac Imperator ſubitò,

bitò, eâ parte, validiſſimus evaſit, quâ minimè ſperabatur. Placuerat SIGISMUNDO Regi, quò expeditiùs GUSTAVUS Aquilonem ſuum in Germaniam circumageret, ab uno latere quietem procurari; ne tamen Imperatori, Imperio, æquitati, & Eccleſiæ, zeloſus aliàs, opitularetur, à tribus iterum, eodem tempore; Turcis, ruptâ pace; Moſcis, fracto fœdere; Scythis, ſuo more; per Podoliam, Volhyniam, Ruſſiam, diſtineri. Sed quid inde mox, niſi gloria Polonæ genti, VLADISLAO decus! Traxerat Aſtrachanios & Cazanenſes, Wolodimerios & Czeremiſſas, Aſiæ & Europæ populos, à Tanai, & Volgâ ſuo, ad Boryſthenem, Schiſmaticus Imperator; toto Oceano, Balthicoque mari, belli duces, Tribuni, milites, adnavigaverant; arma, viros, artes, vicinus & longinquus Orbis miſerat; quæ videlicet univerſa novi Regis, poſt fata Patris, ampliſſimæ Reipublicæ gubernacula prenſantis, ſacro diademati, aliud honoris jungerent, & glorioſo vertici novas laurus. Centum quadraginta millia, à Smolencianæ, annum prope integrum obſeſſæ Urbis, cervicibus ſubmovit; & hoc

(agnoſce Dei digitum) parvâ manu. Vicit, cum Barbarorum viribus, quaſi Barbara, & tamen irrita, in ſe Moſcorum frigora; & Riphæas nives, & Roxolanum gelu, longè infra generoſi ſpiritûs magnitudinem oſtentavit. Sæviſſimi Septentrionis triumphator (quantum Cæſaris, & Pompeji, Dyrrachiana molimina prætergreſſus!) obſeſſores ſuos obſedit ipſe; ac armis, ferro, ingenio, conſtantiâ, & ipsâ ſuâ hyeme tandem debellatos, ad pedes Regios coëgit. Quid jam Pontius Sabinus quidꝭ Veturius & Poſthumius Romani Conſules, in proficientis adhuc Quiritium fortunæ incunabilis, cum paucis millibus, ſub jugum miſſi? Quid memorabilis Caudina pactio, & uſque huc memorabiles Caudinæ furcæ? Vidit Orbis, quod nunquam viderat, tanti exercitus, tot Vexilla, tam adulti Imperii, poſt hanc cladem demum jam vergentis, ſtupendas vires, Victoris calcibus ſubſtratas: vidit tot millia, cum Sehino ductore ſuo, flexo genu, aut cervice, ſupplicare ſpiritum; quo alienæ gloriæ, ſuo dedecori; alienæ vitæ, ſuæ morti; novo calamitatis genere, ſupereſſent. Indè latiùs ultor enſis dum violati fœderis piamenta

menta quærit, Cæleſtis pœnæ dexteram expreſſit; donec victor Sarmata Michaëli Fedrovvicz, paulò antè tam Magno duci, tractu terrarum optimo ceu capite minori, non invidendam jam magnitudinem, in ſolo titulo reliquit. Ad tam latè tum coruſcantis Lechici Phœbi jubar, Luna Turcica, quæ, à tam pio nimirum fœdere provocata, ab Helleſponto, imò propiùs à Tyrâ & Hieraſſo, fœdæ noctis ſuæ caliginem Chriſtianæ luci minabatur, mox, etiam ante ſanguinem, purpuraſcens erubuit diſcrimen; cumque ſuam, alienâ confuſione, plenitudinem ſperâſſet, ſuo deliquio majorem alteri conciliavit. Fugit deinde, prout venerat, ſuo more, vagus Scytha; & hoc triplex bellum, ceu triceps Cerberus, ad Monarchæ Magni, Magni VLADISLAI, tanquam redivivi Herculis, Tartara triumphantis, genua defecit

Diſpoſitio divina circa Guſtavum.

Cæterùm Divino ab humanis placitis, ut in Tranſylvaniâ ad Tibiſcum, ſic in Ruſſia ad Smolenſcum; ut ad Leopolim, ſic ad Camineciam, diſcordante, tamen id, quod ſummè, in ejuſdem Sanguinis Heroë, ſed toto Deo, Cælo, Regno, causâ diſſidente, fœderatis placuit, proſpe-

ſperiores, non tamen in longum etjam, ſucceſſus habuit. Nempe libuit ſupremo Numini hujus ſæculi non malum Principem, ut Salamandram in igne ſuo, ſic in periculis aliquantulum fovere; quò faciliùs dehinc magnitudinem quoque ſuam, alieno diſcrimine conſecutus, periret ſuo. Ipſa pericula (ut ſæpe in humanis ludit) Divina potentia utrinque præmium pœnamque fecit; quò novos titulos, è FERDINANDORUM periculis, GUSTAVO adjiceret, quos ſuo fato, ſuo periculo, FERDINANDIS deunò, GUSTAVUS immolaret. Nec enim hic ita malè meruerat, ut inglorius iſtum verticem, non unâ laureâ glorioſum, conderet; nec indignos Deus Cæſares oſtendit, quibus ille ſuam gloriam, & glorioſum caput, ceu victima conſecraret. Dignus erat veteranus miles felicitate quâdam, dignus decore, ſed ſuo; cùm veram felicitatem, verum decus, Religionem, fas, & æquum, non ſectaretur: digniſſimi FERDINANDI autem, qui vero decore, verâ felicitate, integram fortunam ejus, ſuæ gloriæ partem facerent. Ad hunc ſcopum, & hunc ſcopulum, dedit media qui unus habet; & direxit qui cuncta dirigit, ut cædi poſ-

poſſent qui Victoriæ, cædere qui exitio deſtinati.

Indulſerat GUSTAVO magnarum rerum capacem animum; & ſic indulſerat, ut conceptuum effectus in pauculis aberrarent, in pluribus reſponderent. Hinc ab adoleſcentiâ, utriuſque fortunæ, magis autem proſperæ, documenta; hinc experientia magiſtra rerum; hinc artes bellicæ, & veterani milites, qui ſecum annis, armorum uſu, & ſucceſſibus, in fortitudinem adoleverant. Hinc illi, vel ipſi Aquiloni ſuo, de rigore, controverſiam facientes animi; ac, ſi qui mitioris Cæli, è Germaniâ, Britanniâ, Galliâ, ſe aſſociaverant, longâ adſuetudine, in Polonos, Lithuanos, Livones; in Eſthævones & Hamaxobios probati, non minùs jam, quàm Sueci ipſi, Gothi, Fenni, & abſurdiſſimi gentium Lappones, in omnem fortunæ contumeliam firmati. Hos ut GUSTAVUS, tot aliunde etiam auxiliorum certus, ab Holmiâ ſuâ, & vicinâ Boruſſiâ, in Germanicum littus vel expoſuit, vel citavit, prona omnia ſibi cõperit, adverſa Domino. Principes & Urbes etenim, quia ſuũ Cæſarem jam obſervare, etiam ſervare deſierant: unum quaſi omium

Guſtavus in Germaniam.

certamen erat, qui priùs externo Principi adhærerent, recederent à ſuo. Et magìs in GUSTAVO de Germaniâ, quàm Pompejo Magno de Italiâ, verum apparuit, quòd, ut primùm terram virgâ percuteret, exercitus proſilirent. Quamvis in hoc non modicum diſcrimen erat, quòd ibi, metu Cæſaris prodire verecundarentur, hîc in Cæſarem etiam armarentur. Quin imò maximum diſcrimen erat, quòd ibi in Cæſarem, nondum ſuum Principem, & tum hoſtem à Republicâ judicatum, non auderent; hîc in Cæſarem ſuum Principem inſurrexerint, pro Republicâ dimicantem. Niſi fortè ibi Rempublicam, & Imperium eſſe putaverint, ubi, ſine capite, pauci erant; aut ibi non eſſe, ubi cum potiſſimis Electoribus Imperator. Sed nimirum ſpecioſa nomina, & libertas obtendebatur, quam tueri in politicis ſuadebant ii qui opprimere deſtinârant, in rebus fidei qui aliam profitebantur. Audiebant ergo jam pauci Cæſarem, cùm omnes Cæſar; & vel tum quoque Pater patriæ, quamvis immorigeræ, ab armis eos, ad concordiam, Francofurtum revocabat: id petentibus Wallenſtenium etiam, cum tot millibus, ſacramento ſolvens,

vens; ne ipſius arma adeò timerentur. Certum illud experientiâ conſilium, *ſummam authoritatem, ſummámque potentiam, armis quæſitam armis tuendam*, bono publico donavit, &, dum innocentiam potiùs, quàm potentiam tueretur, maluit ſibi quàm aliis deeſſe; ſpe certâ fretus, quorum conſiliis nunc auſcultaret, eorum auxiliis, in eventum ſequiorem, etiam fortiter adjutum iri. At ſic quidem benè in æternum famæ, in præſens autem malè viribus ſuis conſuluit, cùm miles, quem amore pacis exauthorârat, belli ſtudio, ad averſos Principes tranſiret. Quippe Ducem nullum habentibus, ſtatim quilibet erat idoneus; ac, præſentem tempeſtatem fugientibus, quælibet ſtatio pro portu erat. Ergo omnes undique in unum Tillium, & unus Tillius adverſus omnes; nec infelix, præterquam eo loco, ubi nunc quidem ſibi, nec ita multò pòſt, victori terminum Fortuna deſtinârat.

Attrahite interim hic Varrones Belgici (quos & Demoſthenes, non in Philippum quidem, ſed in Cæſarem, quibuſdam vocare libuit) eloquentiæ Catarractas; & coactum uſquè huc Auſtriacorum continuo ſucceſſu, *Oratorum quorundã vana vota de Guſtavo.*

 Rhe-

Rhetoricæ artis flumen, ſemel mittite, navigate: At ſic tamen cautè (moneo) ad Gubernaculum & vela; ne, qui GUSTAVUM vehitis, hoc inſperato turbine, in fatalem hanc Charybdim, prorâ impingatis. Non magis enim ille proſperè, & prudenter, ſecundo fortunæ ſuæ æſtu, quàm temerarius & infelix navita, prono vento uſus eſt; qui maris ſui, ſui Oceani, univerſa brevia non ignorans, pauca cavens, plenis velis ad naufragium properavit. Comparate, nec invidebo, multas per elegantias, Auguſtum veſtrum non Auguſtum, nec futurum, Pyrrho, Annibali, Pompejo Magno, dummodò in FERDINANDIS, Fabricios, Scipiones, Cæſares agnoſcatis. Tandem per minùs odorata nemora Hercyniosque ſaltus, per Cheruſcorum & Meliboci juga, ducite Francofurtum, *Ubi Romanorum Reges eligi mos tenet*; *ut accipiat*, ſi Diis placet, *omen rerum, quas jam geſſerat, quas geſturus erat*, qui (vobis quidem) *nec de futuro dubitare poterat, victor deſignatus*. Imò verò, ut falſi vates, intempeſtivæ Panegyri ſuperſtites, *non rectis oculis, atque inconnivis, ut antiqui loquebantur, Romanas Aquilas, ad fulgur ejus, cum horrore, animum ac mentem* non de-

Verba Heinſii in Panegyrico ad Guſtavum.

demiſiſſe, intueamini; adhuc in Auſtriâ Victrices, cum Auſtriacis imperantes. * *Acceſsit* Tertius, & quidem iterum Ferdinandus, poſt Secundum, contra quem, non ille quidem vincere, ſed perire deſignatus, bellum geſſerat; non jam *arcendus*, nec *profanus*: ſed quantò minùs Gustavo veſtro, tantò magis Divinæ Majeſtati ſimilis & conformis. *Hic ſanctioribus*, ut apparet, *initiis imbutus*, *certiora pro ſe conceperat*, ab eo, qui non tot menſibus, poſt vota veſtra, quàm Hic annis, poſt fata ejus, humani generis directioni ſupereſſet.

* *Heinſii; poſtquam Guſtavū Deo conjunxiſſet, hæc propria verba ſunt.* Si quis tertius diſſimilis accedit, meritò profanus habeatur ac arcēdus.

Guſtavi ambitio.

Attamen haud adeò mirandum, vos, dum periodos blandas magis, quàm veras quæritis, zelosè potiùs, quàm Religiosè, ultra præterita ac præſentia, ultra Cæſares provectos, circa Gustavum aberrâſſe, cùm Gustavus ipſe interea non minùs, circa ſe, fortunamque ſuam, caligaret: dum felix eum temeritas à Lipſiâ Herbipolim, Francofurtum, Moguntiam, ad uſque Confluentes; inde in Franconiam iterum, & Palatinatum circumageret, & validè legiones quidem, magis autem jam animum gyraret. Hic in nota omnia & ignota vagus; ſecundis ebrius, inſolens,

corruptus ; futurorum nihil anxius, præſentium ſecurus ; Imperium Romanum, quod ne totum quidem adhuc ceperat, procaci libidine dividebat. Principatus, ditiones hoſtium, ac, quod mirêre, fidelium ſociorum etiam, ſuo arbitrio; Epiſcopatus & Abbatejas, bene de ſe meritis ; ſibi, Domuíque ſuæ, quicquid Auſtriacæ hæreditarium, aſſerebat ; nunquam titulo, præſumptione ampliùs quàm Imperator. Certè quidem, nulla vaſtior, nulla magis inexplebilis, quàm ambitionis intemperantia eſt, quæ, tum priùs, cùm ſatiari putaveris, incipit eſurire. Habet alvus, palatum habet, quod ſeu copiâ, ſeu faſtidio laſſetur; & libido hominem, ſi non deſeritur, ipſa deſerit; ſola ambitio recipiendo proficit, proficiendo demum incipit. In immenſum hianti, quicquid ingeſſeris, non paſtus, ſed continuò irritamentum eſt. GUSTAVUS ADOLPHUS, qui jam ad Oceanum, qui ultra maria, qui in Inſulis & continenti, qui, à Codano ſinu, propemodum ad ſubalpina, poſſidebat, quæ tam ſua erant, quàm quæ non erant, poſt hæreditaria, viventis etiam tum Regis, Sceptris aliis, ibi, in Sarmatiâ imminebat; hic in Turciâ, cum Amurathe

rathe, ceu jam vicinus, aut mox futurus, de Auſtriâ, Hungariâ, Styriâ diſponebat. Sed utrobique ſpei irritus, & Warſaviæ Senatorum fide, * Opalinii Zelo igneo; & Byzantii Buchemianâ Legatione, Buchemianâ prudentiâ, in ordinem redactus, non abſque verecundiâ didicit, eo contentus eſſe, quo non erat, & id habere, quod non habebat, quia quod habebat, non ipſius erat. Quin & nominis, & famæ ſtudio, diverſis, diverſa per terrarum & populorum, Helvetos, Italos, Britannos, Batavos, Legationibus, quis jam, & quantus eſſet, ſcilicet oblitus ſui, alibi explorare, alieno judicio metiri libuit; qui tamen, quis, quantus, & qualis eſſet, ad Ingolſtadium, ad Norimbergam, gemino fortunæ caſu monitus, FERDINANDORUM ſe virtute (quam ſuſpicere, quam timere, tum demum profeſſus erat cùm irritaſſet) debellari ſenſit. qui infelix felicitate ſuâ, jam amicis magis, quàm hoſti nimius, bello acriter, livore acriùs urgebatur; provectus eò, ut nec vivere Fœderatis ſuis ſine tormento; nec mori poſſet, niſi lætis.

*Videtur dicere zelo igneo, quia literæ legati Suecicii, ab Opalinio ſupremo Marſchalco Regni publicè in foro comburi juſſa.

Guſtavi mors.

Non ignarus hujus fati, nec illius penitus quod imminebat, ſic, Wallen-

lenſtenium ſecutus, in arenam prodiit, ſtruxit aciem, pugnam cœpit, ceu devotus Orbi, tanquam non evaſurus. Nec diu Deus, nec GUSTAVUS diſtulit, ut oportunus eſſet; ita periturus, ut antequam miles ejus de Wallenſtenio, ne dicam FERDINANDIS, jam FERDINANDI, cum Wallenſtenio, de perſonâ ejus triumpharent. Cecidit, haud diffitemur, virtute magnus, fortunâ major, imò Principum, terrarum, Urbium, vel mediarum partium damnato ſtudio, vel ad ſe, à ſuo Cæſare, defectione maximus; ſed ita tamen, ut tantus quantuſcunque eſſet, non ſummo tantùm & invicto Cæſari, ſed Præfectus ejus, ſed Cæſareo Manipulari minor fuerit, quiſquis ille fuit qui confecit. Cecidit, ſi ætatem ſpectes, ſi vigorem, ſi moralem Principem, ſi militare decus, non dignus equidem, niſi contra fidei juratos hoſtes, ita cadere, ſic perire; ſi Eccleſiam, æquitatem, causã; ſi Cæſares, ſi FERDINANDOS, non ſecùs cadere, non aliter perire. Et ante pugnam velitando cecidit, ut, casûs ſui militis incertus, ſui certus, non ſine curis anxius labaret; inter multa dubia unius gnarus, ſe præire quò duxiſſet, ſecuturos plures quò præiviſſet.

Con-

Conſidera mortale genus, quàm parum vires ad extremum in æquitatem; & quantum æquitas quaſi ſine viribus, in vires poſſit. Vides adverſas inter acies, terram inter & equorum ungulas, GUSTAVUM medium; nec tamen priùs vides, quàm ille, exarmato ferè Cæſare, Germaniam propè integram in Cæſarem armâſſet. Vides & àfronte, & à tergo, & à lateribus, in pectore, lacertis, dorſo, undecim vulneribus confectum, cùm, tum vel maximè cruorem alienum quæreret, in ſuo volutari. Vides, qui belli quaſi anima, quaſi vita fuerat, ceu viam factam, victorum æquè ac vincentium phalange, cohortibus, ac turmis, die integrâ, poſt ſpiritum, calcari; cùm jam priùs eò perveniſſet, ut univerſi Orbis ſpe vel metu, aliorum diademata, Sceptra, faſces, calcaturus ipſe videretur. Vides denique jacere hoſtem Principem, ſtare FERDINANDOS; & qui Auſtriacos evertere propoſuerat, everſum, ne viſâ quidem Auſtriâ, perire. Propè eſt cum Claudiano hîc exclamem:

Consideratione quadam circa mortem Gustavi.

——————— *Telluntur in altum.*

Et quàm modicum, ex tam alto, ſeu pręrupto, temporis, & fortunę, in hoc præ-

præceps, intervallum! Brevi, ne unius quidem anni, ſucceſſuum, terrarum, circulo, in eundem ferè campum, victoriæ necisque redux, quicquid gloriæ nuper hauſerat, cum animâ refudit, infauſtâ morte compenſavit. Infauſtâ, inquam, & quidem adeò, ut, qui ſe, ut decuit, vivus vix agnoverat, poſt fata, cadaver ejus, niſi verrucâ, fortè ſui non notârint. Certè qui ſic jacuerat, ſi ex GVSTAVO anagramma fecerat Auguſtum, tum ex Auguſto belli alea fecerat GVSTAVUM; & Auguſti FERDINANDI erant, qui licèt de fortunâ & bello nondum, jam ſic de GVSTAVO tamen; ceu, à ſuo ſolio, infra eorum genua, provoluto, triumphabant. Atqui, imperâſſet ſi vixiſſet? Nimirum mori debuit ne ſupereſſet, non eſſe debuit ne imperaret. Iuſtus ille rerum Arbiter jugulavit ſpem cùm ad fiduciam veniſſet, quo, adverſæ parti, manifeſtiùs probaret, eſſe ſuos qui non videbantur, non eſſe qui videbantur. Stupendo fatorum ordine, illos ſummis cladibus firmare, hunc victoriis perire, & (ut oſtenderet quam FERDINANDOS tenerè ſervaret) vel ſuis vincentibus, quaſi ſolum perire voluit; ne, nondum placatis Superis, deeſſent qui pugnare,

jam

jam non eſſet, qui, præter Cæſares, imperare poſſet.

Singularis hæc, circa FERDINANDOS, Divini numinis providentia, ut ab initio, ut in GUSTAVO, ſic luculẽtiùs, in ipſo Wallenſtenio, adhuc apparuit. Quo enim modo rem Auſtriacam periculoſiùs Fortuna librare potuit, quàm cùm ſubſidia ſecuritatis ejus, ſubitò, ſimul omnia, in metum tranſtulit? Cùm hunc Hannibalem, hoc belli fulmen, tot exercituum, tot Ducum, & magis hoc, quàm ſuum Cæſarem, reſpicientium Legionum caput, in perniciem, primò alienam, indè ſuam, dolo hoſtium, faſcinavit? Cùm illum, quo præter Deum, nemo fortiùs momenta rerum, quæ in unius propè manu erant, quocunque ſe inclinaret, vel evertere, vel ſtabilire poſſe videbatur, in maximè formidabilem inimicorum, qui amicorum fuerat, præparavit? Nullo certè. Potiſſima virium Germanicarum pars, poſt GUSTAVUM, penes GUSTAVIANOS adhuc, quicquid FERDINANDIS in adverſum, jam, in Se, penes Wallenſtenum erat; & eo modo, ut nullus illis, ipſi omnis in voluntate modus ſupereſſe videretur. Nimiâ fiduciâ, nimiâ bene-

Wallenſtenii caſus.

ne-

nevolentiâ ſe exarmaverant, qui Vaſalli ſui fidem ex ſummis meritis, ex beneficiis æſtimârant. Quanquam ex eventu, pro ut fuit, fortè nimiùm in illum virum nîl fuiſſet, ſi virtutes ejus, quibus, in exitium ſuorum hoſtium, eminebat, illi, peſſimo Philtri genere, ambitione non corrupiſſent, qui nobis, qui Germaniæ, qui Cæſari, qui bono publico invidebant. Interim ſolus quaſi Deus, cum FERDINANDIS ſolis, & ſoli FERDINANDI iterum cum ſolo Deo; & ita quidem, ut, ſi vanam propè ſine viribus iram exeruiſſent, in facto diſcrimen eſſet, ſi cunctarentur, periculum in morâ. Perierant, procul dubio, niſi tanti Cælo, tanti Superis fuiſſent, qui Imperio ſervarentur. Quid ergo? Quo vel tertiò, quanti eſſent, ceu miraculo probaret, repentè Numen, in hoc articulo ſummæ rei, Divinâ ope, quod humana jam vix ulla poterat, viâ notâ breviter expedivit; & in reliquùm, ex duobus ipſis, Te FERDINANDVM III. Te Auguſtum, Te Patrem patriæ; Te Eccleſiæ, Te Imperii, Te generis humani bono natum, ceu Atlantem alterum elegit, qui porrò, ruentem Germanum Orbem, auguſto ver-

Ferdinandus Tertius ad exercitum.

vertice fulcires. Te Alcidem, ad reſtituenda reliqua, ad debellanda mõſtra, in Imperium quaſi manu duxit; cùm, quicquid tuendum ipſe, quicquid frangendũ non ſuſcepiſſes, periturum tibi, aut peremptnrum Tua videretur.

Ferdinãdi III. Virtutes bellicæ.

Atqui, Magne Cæſar, hîc ſumma illa, ſummæ Majeſtati Tuæ, modeſtia conjuncta facit, ut, priuſquam plura loquar, precari debeam, Te, deſtinatam, ac reſervatam, ab æterno, æternitati tui nominis, ut ad Palæſtram; ad Illuſtrium præliorum initia, vias, exitus; ad immortalitatis Tuæ ſtadium, plus quàm mortali paſſu, cum Deo gradientem, ſequi ſaltem verecundè liceat, cùm aſſequi non licet: ut ad hoc, exerentium ſe continuò, virtutum Tuarum jubar (quod tum humano generi potentius effulſit) ceu meridianum Solem, infirmæ, ſed devotæ mentis meæ aciem, nonnihil hebeſcere patiaris, dum, imbecillitatis ſuæ conſcia, tantum fulgorem illum non ſinit intueri. Talem enim, Deo Duce, tam auguſtum Te bono publico exhibuiſti, ut ſuſpici vel invitus debeas, longè auguſtiorem verò, quàm ut debitè, meæ quidem mentis, oculis uſurpari poſſis. Ita quippe difficultates ubique obvias,

Di-

Divino ingenio ſuperâſti, ut eaſdem humano reliqueris vix conſequendas. Sic Tuum Theſeum, id eſt Germaniam, id eſt Imperium, ceu Ariadna altera, è Labyrintho periculorum, prudentiæ tuæ filo, eduxiſti, ut nos involveres virtutum. Effeciſti enim ea, eo tempore, quæ efficere quempiam mortalium potuiſſe, nemo diceret, nemo crederet, niſi effeciſſes. Quæ tamen efficere etiam, Auguſte, non potuiſſes, niſi Deus Tecum, Tu cum Deo effeciſſes.

Fiducia ſui. Quanta enim erant, quæ Rempublicam labentem preſſerant, quæ, labente Wallenſtenio, premebant, quæ, lapſo, demum imminere videbantur? Bone Deus! horret animus meminiſſe, quæ tamen, reſpectu Tui, non meminiſſe non poſſumus, niſi ingrati. Quoquò Te verteres, vel hoſtis, vel confuſio; adverſa, vel ſuſpecta omnia. Nunquam conjurati Orbis tantæ vires, aut magis firmæ, aut latiores; Nunquam Cæſareanæ magis debiles, acciſæ, minùs habiles ad uſum. Illæ, Rheno jam & Nicro, Mœno & Viſurgi, Albi & Viadro, Liciâ & Brigantino Lacu, à tergo præpotentes; Ratisbonâ quoque, ad Danubium, tum fluviorum ultimum, & ex parte reli-

reliquum, occupatâ, extrema jam omnia ſui fiduciâ minabantur, quia ſimul & concordes; hæ, ſine capite extenuatæ, fractæ; locis, animo, affectu ſparſæ; ſui Ducis, & dolo hoſtium corruptæ, magis exitio vicinæ, quia diſſidentes. Ad hæc omnia, tam dura, aſpera, fortiſſime Imperator, ceu ruinam publicam, ut erigeres, acceſſiſti; cùm accedere jam auderet nemo, nemo poſſet, abſque ſuæ metu. Inducere galeam, præeſſe militiæ ſuſtinuiſti, ſuffeciſti, cùm, præter Te, præeſſe militiæ, induere galeam cum poteſtate, jam, excepto Bavaro & Lotharingo, nemo ſufficeret, ſuſtineret nemo. Periculo Te commiſiſti, cùm imminentium periculorum remedia, tua pericula fore prævideres.

Et prima quidem, quæ & graviſſima, diſciplinæ militaris cura fuit. Hanc (cùm aliàs in caſtris etiam citò nimis à rectis in vitia, à vitiis in prava, à pravis in præcipitia perveniatur) indulgentiâ fatoque Ducis tuum penitus collapſam, eâ prudentiâ reſtituiſti, ut, ſi emergentem exindè gloriam conſideraverimus, propè ſit dicamus, illam cadere, Tu, Auguſte, ut erigeres, tanti fuiſſe. Ita enim (verbo ut dicam omnia) quæ tria maximè neceſſaria, *Diſciplina militaris.*

ceſſaria, militem exercuiſti, exercitum firmâſti, firmatum eduxiſti, ut & in exercendo Te Xantippum, in firmando & uniendo Fabium, in educendo Scipionem demonſtrares. Nimirum qui probè intelligeres, eam denique & rectiſſimam, & tutiſſimam, imò Regiam, Tibi Regi, ad victoriam viam fore, ſi antè diſciplinâ providiſſes, ne vinci poſſes.

Bellorum ſucceſſus, & expugnatio Ratisbonæ.

Et in hòc, Ducum optime, prudentiſſime Imperatorum, non aberrâſti. Sic enim expeditionem feliciſſime, & (quod glorioſiſſimum) ſervatis Tuis, ſine ſanguine auſpicatus, lauro civicam præmiſiſti; & mox territis, inde fractis hoſtibus, laurum civicæ conjunxiſti. Sic Leones Scandici, præſumptuoſi anteà & erecti, Tuis Aquilis, non jam rictum oris, non panſos ungues, ſed in pedes iterum ſubmiſſi, terga præbuerunt, ceu ferociæ prioris, nunc porrò inutilis, obliti. Sic denique & ſucceſſu firmior, cum Electore Bavaro junctis Caſtris, Tuas vires, Tua arma, Tua fulmina, ut petunt Jovis plerumque ſumma, in adverſa Ratisbonæ mœnia direxiſti; ut eandem Tibi ad Imperium aperires. Torſit omnem ſe in partem; & in Bohe-

miam,

miam, & in Bavariam, ratione mirâ, nec ſperare, nec deſperare jam auſus hoſtis; & circa virtutem Tuam, & Ratisbonam, Auguſte, varius, ceu divulſa à catulis Leæna, nec propè, nec procul eſſe, metu vario, ſuſtinebat. Tu conſtans interim, & immobilis, & inconcuſſus, abſens præſenſque idem, fortis, Victor, eodem tempore, Pragam in Bohemiâ ſervabas, Ratisbonam in Imperio ſubigebas; in Tuo Cuſtos, in alieno Vindex. Quanquam non adcò etiam alienum erat, quod jam armis, virtute, meritis; quod affectu, quod amore mutuo, Tuum eſſe incipiebat. Tu enim Urbes, Te clementia, & hæc viciſſim mentes hominum expugnabat; ut nimirum, abſolutè victor, magiſque cordium quàm turrium poſſeſſor, ibi eſſes verè, ubi eras; & haberes verè, quod habebas; quin & eſſe jam inciperes, ubi nondum eras, & habere, quod non habebas. Quocunque etenim te porrò verteres, inſtar benigni ſideris, moderationis Tuæ radii jam præceſſerant, aut præcedebant; & cùm tecta alibi, cùm vallos ferro, potentiſſimâ lenitatis machinâ pulſabas animos; non adeò pertinaces vinci, libertatis, vitæ, ſpiritûs ſecuros.

Ita

Ferdinā-dus Car-dinalis ſe jungit Ferdinan-do III.

Ita denique, Sacratiſſime Imperator, bellum, quod à tyrannide, quod à latrocinio diſtinguebas, aliquâ tum ratione *bellum* effeciſti; & cæleſtem illum Tuum animum, eodem, quo Cælum regitur, amore dirigi oſtendiſti. Quippe eadem Tibi, circa mortale genus, circa hoſtes & amicos, circa delinquentes & obſequentes, cum Deo cura; idem animus, non velle perdere, ſed ſervare. Quid ergo, quid, Auguſte, mirum, cùm Tu Ætheri, cùm Deo; Tibi Æthera, Tibi Deum militâſſe; & hunc idem egiſſe Tecum, cùm Tu idem ageres quod Deus! Hic jam à Tuis partibus, Tuorum Caſtrorum Præſes, Imperator, Miles, movebat, Auguſte, Tecum, gradiebatur & quieſcebat Tecum, obſidebat & expugnabat Tecum, bellabat & debellabat Tecum: & illius præſidium, Auguſte, illius opera magis eminebat, cujus præſentia, niſi virtute, non apparebat. Hic Tuam mentem, Tuum animum habitabat; & conſilia, quæ ſuggeſſerat, in effectum, idem, qui ſolus poterat, dirigebat. Hic denique, cùm jam de ſummâ rei dimicandum eſſet, Tibi FERDINANDO, FERDINANDUM alterum, (quem unicum, Pyrenæos ultra

ultra, extremus Occidens Tibi ſupparem adhuc ſervârat) per maria, per terras, à ſummis Alpium & Tridentinis jugis, cum veteranis Copiis adjunxit, virtutis tuæ teſtem, periculorum, gloriæ Conſortem. FERDINANDVM, inquam, Tibi FERDINANDO junxit, quò, ſpecioſo ſcilicet exemplo, ſub auſpiciis unius, & pro uno, FERDINANDI duo militarent; & illos ſolis FERDINANDIS deſtinatos hoſtes ſoli FERDINANDI vincerent, à ſolis FERDINANDIS vincerentur.

Simul Nordlingam obſident.

Pergite ſublimes Animæ, Orbis decora, Sereniſſimi Affines; pergite unitis animis, unitis viribus in adverſos hoſtes; & poſt Bavariam, poſt Donavverdam, poſt Danubium Ulmâ tenus vendicatum, flectite in Noricum, ut Dictator alter, alter quaſi Magiſter equitum, ille ceu ore Superûm, hic auguſti Dictatoris, extra ordinem creati, cauſam Dei, & Eccleſiæ, & Reipublicæ, & Veſtram præcedentibus conjunctam, non ut Romani integro ſemeſtri, ſed ſimul diebus pauculis reſtituatis: ut velut Cælo miſſi, in Nordlingam Bellonæ machinis tonantes, conjurati Orbis, ſucceſſu Veſtro, hebetiores oculos,

aures, animos, inſolenti fulmine, fragore Martio, ad fatale prælium irritetis: ut denique octavam Iduum Septembris, fuſis hoſtibus, & expeditionem Vobis ordine gloriâque primam, inſigni Victoriâ conſecretis, coronetis; Vos viciſſim octava illa, illa expeditio æternùm conſecret, coronet. Hîc nimirum arena illa, hîc Pharſalia illa Veſtra, Veſtri Philippici illi Campi, in quibus diſtractum ſimultatibus Imperium, Auguſto Veſtro, aut jam facto, aut mox futuro, id eſt, Vos, Auguſti, Vobis ipſi aſſeratis.

Hoſtes ad Nordlingam movent.

Hoc autem, in tantis hoſtium conatibus, prô quantæ molis! Libeat nonnihil hoſtium, Imperator, libeat Tuorum, libeat communium periculorum meminiſſe, quæ quò plura, quò majora eo tempore Fortuna obtulit, hòc Tuam magis fortitudinem commendant. Quicquid Rhenus, Viſurgis, Amiſia, & Mœnus; quicquid Imperii Romani quinque circuli, fœderati, aut ſubacti; quicquid Codanum ultra ſinum totus penè Aquilo, potentiæ ſuæ, imò Tuæ gloriæ ſepoſuerat, aurora una, una dies, caſtrorum Tuorum oculis (an ut exploraret Tuos?) temerè ſubjecit.

Aderant

Aderant diverſarum Gentium diverſa robora, diverſi Duces; & illæ quatuor exercituum Legiones, ad Lipſiam, ad Licum, ad Lutzam, ad Hammeliam, & propemodum ubique, priuſquam Te accederent, invictæ. Movebant ſe illa cornua, illæ turmæ, acies, & alæ, quæ triennio Victoriarum in audaciam nutritæ, promptiſſimè Tuorum jugulum, quò faciliùs deinde ſuum traderent, petebant. Et hæc quidem, Auguſte, hoſtilium tot copiarum, tot exercituum momenta; non minora interim Tuorum erant, & ipſius pugnæ mox imminentis. Videbas, licet tenues & ſolas, univerſas tamen Germaniæ devotæ; univerſas fractarum virium reliquias, in hunc ſucceſſum, quaſi de induſtriâ, à Fortunâ reſervatas, Tecum eſſe; iiſque cæſis, ſupereſſe nihil. Videbas Te cum omnibus, Tecum omnia, in hoc periculum & diſcrimen ire, unde redire, abſque noviſſimo, non poſſent; ac uni prælio, unique pugnæ, Imperii Domuſque Tuæ, quin imò fata humani generis committi.

Prælium Nordlingenſe & victoria Ferdināndi III.

Hæc videbas, inquam, prudentiſſime Imperator, & illa non ignorabas; tamen, ceu Divinitùs, inſtar illius Conſtantini Magni, ad conſtan-

Verba è Panegyrico ad Conſtātinum.

tiam animatus, vibrari ſignum, in quo vinceres, Crucem Burgundicam juſſiſti; *Vt quicquid ſtruxerat diuturni ſceleris, longa molitio, felici tandem congreſsione conſumeres.* Vidit hanc alacritatem Tuam Tuus miles; vidit & Commilitonis Tui, eadem quæ Tu cum Deo, Tecum agentis, FERDINANDI, FERDINANDE; atque, in eodem propè, de illo velut Maxentiano, déque Tuo ſuóque agmine, cogitationum æſtu, non exta, non ilia ſcrutari; nec volatus avium, ſed auguſtam illam Veſtram faciem, Martium illum vultum, illos oculos, Cæleſtium animorum indices, intueri; quos ſciebat, nullâ unquam formidine, nullâ temeritate, ſed ratione, ſed conſilio, ſed Dei nutu, ſtare aut moveri. Hinc ſpem, hinc fiduciam, hinc auſpicia, hinc omina totius pugnæ & victoriæ, jam præcipiens, ceu ſe ipſo fortior, in hoſtes verſus, primum impetum excepit. Tum quicquid ad horrorem, quicquid ad cruorem valet, utrinqüe cumulatum. Vota cum votis, artes cum artibus, ſtrategemata cum ſtrategematibus, viri cum viris, vires cum viribus pugnavêre. Non Trebia, non Thraſymenus, non Cannæ, nec Cathalaunici quidem, cæſo

Attilâ,

Attilâ, ferales tumuli, furorem ſimilem conſpexerunt. Ignes, flammas, fulgura, Mavortis machinæ; magis animi, magis oculi ſpirabant. Multum ubique vulnerum, plus irarum. Tu inter hæc, fortiſſime Imperator, virtutes Tuas, quas, ceu ad hoc, tui Corporis Majeſtate foveras, liberaliùs diſpenſaſti. In periculis contemnendis, magnanimitatem; in propulſandis, in regerendis, fortitudinem oſtentaſti. Si quà nutaret acies, Tu eques, pedes, Dux, miles, adeſſe, ſuccurrere, firmare; ac, eodem tempore, pius, fortis; in Deum mentem, in hoſtes gladium vibrare. Si alicubi, viſo ſanguine, incaleſceret Veteranus, trepidaret tiro, Tu utrumque, hunc alloquio, illum encomio, ad conſtantiam, ad Victoriam animare. Qui exemplo maximus, verbo Regio non minor eras; ac, propè dixerim, Ulyſſes ore, qui Achilles manu. Quin & horrenda ſpecies diræ mortis Te FERDINANDUM, & FERDINANDUM alterum, præſentes adeo, media inter jacula, Vos non terruit, ut telum ingens (imò impudens, propè dixeram, niſi Veſtram, Vobis imperterritis, conſtantiam probaſſet) Ajacem unum, & hunc

Tribunum, duos inter Ajaces medium, cùm rapuiſſet, Tu FERDINANDE cum FERDINANDO altero, in hoſtilem aciem Ruam alacriùs promoveres. Et ita tandem, fortiſſime Imperator, ille ferox GUSTAVI miles, qui ubique ferè, antequam Tu adeſſes, vicerat, Te præſente vinci cæpit; & equitatus ſiniſtri cornu, ut initium fatalis pugnæ, ſic fugæ fecit. Non ipſa deinde feralis ſpes, quæ deſperato peditі ex ipsâ deſperatione ſuccreverat, diu profuit: Et hujus enim ad extremum victor, promiſcuè legiones omnes, perindè jam ſeu Flavæ, ſeu Cæruleæ vocarentur, mucrone Tuo, & earum ſanguine purpureas effeciſti.

Proſecutio Victoriæ Nordlingana.

Inde verò (ut Tu Pollux jam immortalis, poſt Aphidnam Veſtram, aſſertâ communi Helenâ, communi libertate, expugnatam, immortalitatem Tuam, cum abeunte ad ſuum circulum fortunato Tuo Caſtore, FERDINANDUS cum FERDINANDO diviſeras) ceu novus Haſdrubal duobus Scipionibus oppreſſis; vel, aptiùs ut loquar, ceu novus Julius, duobus veluti Pompejis, oppreſſo altero, altero fugato, ad Mundam victis, aut Tuam Hiſpaniam Tuæ Carthaginenſi Byrſæ, aut Tuam Luſitaniam,

Tuo

Tuo Romano Capitolio reſtituere inſtitiſti. Inſtitiſti, fortiſſime Imperator, & reſtituiſti; ut qui nunquam ipſe armatus incipis, niſi triumphator deſinas. Aperti aditus, ſi non relicti; urbes deditæ, vel expugnatæ; regiones traditæ, vel ſubactæ. Quocunque acceſſiſti, ubicunque fuiſti, ibi viciſti. Rhenum Danubio, Mœnũ Ilicio, Amiſiam Anaſo conjunxiſti; ac quam primam rebellium terrarum aggreſſus fueras, devotarum mediam reddidiſti. Quinimò, victo jam Tigrane Tuo, quandam adhuc ſupereſſe velut Tigranocertam Lucullus alter indignatus, poſt GUSTAVUM Guſtavopolim invaſiſti; & quam ille, etiam ſuo judicio & ſuorum Magnus, non ſecùs ad Rheni Mœniq́ue confluentes, ac Alexandriã aliquam, ad Nili oſtia, Alexander non Alexander deſtinârat, vix deſcriptam & devictam, ferro, igne, pulvere deleviſti. Exarmâſti ejuſdem moliminis, ac fiduciâ paris fati, imminentem ex adverſo vicinæ ripæ leonem Scandicum: non diruiſti tamen, ſed reliquiſti, ſpecioſum ratus extorto ferto, fractâque galeâ, non jam alienæ victoriæ ſed Tuæ monumentum, in contumeliam ſui coronatam ſtare beſtiam, quæ non timeretur.

Et ita quidem, glorioſiſſime Imperator, quicquid ille, ſuperbo lemmate, *antiquæ Gothorum gloriæ reſtourator*, Imperii decus ut everteret, in ſuum ſtruxerat, Tu Auſtriacæ conſervator, Imperii ut reſtitueres, evertiſti; vel everſum ſolo nutu Tuo, ne everteres, in trophæum convertiſti. Prono ſcilicet ad lenitatem animo, ſiquid, Imperii Majeſtate ſalvâ, perennare poſſet, convertiſti potiùs quàm evertiſti; ut qui & bruto marmori, & animato corpori parcens pariter, magnitudinem fortunæ Tuæ nullâ licentiâ, totâ clementiâ metiri voluiſti. Qui, victo Gotho, propè Gothicus tum vocari poteras, more tamen Te Romanum magis quàm Gothicum oſtendiſti; ac operi Gothico, ſupra invidiam, victor, & Romanus, quantum quidem fieri poſſet, peperciſti, cùm manus Gothica, vincens olim ſed invidiæ ſuccumbens, Romano operi & ingenio, per omnia, nimis barbarè ipſa barbara illuſiſſet. Ob hoc ipſum enim quod eo tempore, non Tibi ſecus ac olim illi, licere omnia viderentur, licere etiam Tibi illa minima & ſimilia noluiſti, ut, juxta poſitus, in tantum diſpar, ſingularis clementiæ nobile in ex-

exemplum cederes; ac Matris illo ſub diro ſidere, ſuetam tyrannidem dominantis hujus, Tu leniſſimus Planetarum Jupiter, ſalutari quodam lumine, Tui pariter & illius triumphator, potuiſſe vincere demonſtrares.

Certè à pertinaciâ Norlinganâ, virtute Tuâ non correptâ ſed correctâ, ita paſſim Tuam gratiam in abſentia & vicina, loca, urbes, oppida, Caſtella, & quædam invita etiam, novus Evergetes, tranſmiſiſti, ut ſparſiſſe, ut effudiſſe dicerem, niſi Tua, quâ certo fine certoque judicio diſpẽſaſti, prudentia vetaret. Eſſe nimirum bonam mentem in clementiâ, clementiam in bonâ mente, & hanc viciſſim Imperium poſſidere longanimis C. Nerva non ignoraſti; totuſque bonæ mentis, aurum clementiæ ferro juſtitiæ, imo victoriæ conjunxiſti. Qui armis ferreum Te exhibueras, lenitate aureum Te præſtitiſti, primo ferream, inde auream Imperii coronã dari gnarus, tanquam Imperatorem aliquando & eſſe ferreum, inde tamem & ſemper aureum oporteret. Verbo dicam, optime Imperator Ut Pater eſſe Filius cœpiſti, & Patri Filius ſuccedere meruiſti; ac unâ Tuâ clementiâ utrumque Cæſarem, & à Te

Clementiâ in devictos.

 qui

qui primus fuerat, & à Te qui ultimus vivebat, tandem ipſe ut Cæſar eſſes, expreſſiſti. Ergo ut Tu fortunam dederas, dare Te Fortuna; & ut Imperium Tu aperueras, Tibi Imperium ſe aperire cœpit, ut imperares.

Ferdinan. III. per multas difficultates fit Imperator.

Tum verò (prô Deum Immortalem!) quæ non rabies furoris acerbi; quæ non & quanta molimina; qui non & quanti conatus improbi Tuorum hoſtium! Tu ſolus tantum ut id non eſſes, quod ſolus eſſe jam inciperes; & præter Te, vel alius eſſet quilibet, tantum qui Auſtriacus non foret, velut ipſa, propè dixerim, cùm

Flectere non poſſent Superos, Acheronta moverunt.

Sed nimirum illa eadem Providentia Divina, quæ Tibi jam aſſueverat, & cui, Imperator, Tu aſſueveras, ut pro Te in aciem iterum deſcendit, hæc invidiæ obliquæ monſtra, hanc ipſam Erebi Noctiſque filiam facilè debellavit; ac pulſis tenebris, quæ Tuæ luci in vanum caliginem minabantur, Te Majeſtati Tuæ, Tibi Majeſtatem Tuam, id eſt, ſupremam illam generis humani, nora etiam per miracula, conciliavit. Quid enim, obſecro, ſtupendum erat, ſi hoc non erat, ita Cælum, partes ut Tuas ageret, egiſſe

ſuas

ſuàs, ut & bella integra, quæ tamen integra, ne Imperator eſſes, inimicus foverat, ut Imperator eſſes, voluerit ſepelire! Quid Imperium Romanum, quid Imperii Romani Ordines, quid tot periodis hoſtilium technarum in Tui odium diſtractos, & mox ituros iterum in diverſa principes, in Tui gratiam, legibus aut ferro ad modicum junxiſſe; ac ſummum illum & optimum Electorem Tuum, qui, antequam eligereris, Te jam elegerat, ut eligereris, Tibi ſubitò Electores Tuos, Te ſubitò Tuis Electoribus exhibuiſſe! Quid unius Regni maximi, Regis maximi, VLADISLAI IV. Victoris, Orientem verſus, Aſiæ & Europæ, Candidati gloriæ ac immortalitatis, ſanctos illos & innocentes, illos ſacros & triumphales ſolis è barbaris devictis radios, intaminatas illas, & infeſtas ſerenitati Tuæ, Occidentis caliginoſi nebulas, tantùm ut diſſiparent, direxiſſe; ac in theatro publico terrarum Orbis, clandeſtinis de offuciis, in confuſionem obliqui murmuris Regni alterius & Regis, Oſſoliniano ore, Oſſolinianâ facundiâ, & juſta quidem per encomia Tuarum laudum triumphâſſe! ambitionem in ambitionem, inſolen-

lenti ſpectaculo, invexiſſe; ac, ſollicitis aliis Tibi titulos & Imperia clàm ut ſubtraherent, ſollicitos alios Tibi titulos & Imperia publicè ut procurarent, reddidiſſe; novoque ambitionis genere, ambitionem alterius ut exarmaret, alterum armaſſe! Profectò aut nulla ferè dicerem, aut illa certè manifeſta providentiæ Divinæ miracula; quibus & affulgentibus, inſigni partâ de livore victoriâ, fruſtra invigilantibus tot Acriſiis, ad Tuam Danaën, Tuum Imperium, ceu novus Jupiter, miras etiam per anguſtias, penetraſti; felixque Jaſon, omnes per æripedes illos tauros, & dracones omnes in exitium Tuum vigiles, Tu deſtinatus velleri aureo, deſtinatum Tibi vellus aureum, Tuum ad Danubium tranſtuliſti. Agnovit enim Aquila haud degeneres, ne nunc quidem adhuc degeneres, Pullos ſuos, ad eundem providentiæ Divinæ Solem; qui hoc miraculi reliquis adhuc miraculis adjecit, ut Parcis veluti, minimè aliàs generi humano parcis, verè in Divo Tuo Patre & eſſe Parcis, & verè etymon ſui nominis licuerit impleſſe; ac ejuſdem, licet biennium infirmi, eo uſque tamen haud pulla ſtamina produxiſſe, ut ille Tibi, & Tu

illi

illi in ſolatium ſervatus, ipſe Pater & Imperator Te Gnatum ſuum Cæſarem, Tu Gnatus atque Cæſar illum Patrem & Imperatorem venerareris; Tuique hoſtes, qui Cæſarem FERDINANDUM unum, unum Auſtriacum indignabantur, pro uno, uno tempore, vivos & ſuperſtites FERDINANDOS duos, duos Cæſares, ut ut zelotypi ac inviti, mirarentur. Quin etiam (ut notare pergam decreta Superûm) cùm primum Tu, inſtar novi cujuſdam Herculis, Atlanti illi feſſo ſucceſſiſti, & ille Atlas Tibi integro ac novo Herculi feſſus ceſſit; & cùm vidiſſet quàm benè humeris Tuis Imperium, quod impoſuerat, ſederet, ipſe mox, tanquam hoc ultimùm tantum in hoc ultimùm vixiſſet, poſt ſeptimanas pauculas in Cælum migrans, Te terris, Tibi terras liquit; eo ipſo charus ac deſiderandus bonis omnibus, quod jam proſpexerat ne deſideraretur. Se nimirum, ſe in Te reliquerat; ita prorſus & vivam ſui, & virtutum etiam ſuarum imaginem, ut intereſſe prope nihil, decedentem inter ac ſuccedentem, videretur, niſi quòd, qui deceſſerat, Imperator Auſtriacus in ordine duodecimus, Tu Tertius & decimus;

&

& FERDINANDUS Secundus ille, Tu verò Tertius dicereris.

Conatus improbi ſuorum hoſtium.

Verùm enim verò tantus jam ac talis; tantas per Dei gratias, Tu FERDINANDE, nobis & Orbi Cæſar, nobis & Orbi Imperator & Auguſtus, nondum tamen adhuc (quod pamirandum) unicis Tuis illis, tam plurum, herculè, verecundis, quàm plurimum confuſis hoſtibus, id quod eras, tantum quod durum eſſet Te jam agnoſcere quod eras, eſſe viſus; aut certè nimium, quod eſſe videlicet Te conſpicerent, quod tamen eſſe tanta per molimina Te noluiſſent, extremam eorum per impotentiam, inviſus, ad graviora etiam, quàm unquam aliàs, Te bella præparâſti. Utique, prudentiſſime Imperator, quod non ignorares, ſummum odium, invidiæ conatu irrito irritatæ, fœtum, primum eſſe; ac acerrimos poſt ſolis radios, fœdiores ut plurimum tempeſtates, & acriora plerumque fulmina imminere. Nec profectò hæc Philoſophia etiam Te fefellit. Mox enim, utcunque illis, hâc primâ quidem acie & tam illa aſperâ triumphatis, vel Imperator eſſes, vel non eſſes, ſaltem ne, quicquid eſſes, jam iiſdem & diu eſſes, & ſupereſſes,

Te

Te velut optimum in Theodoſium novi iterum & iniqui Maximi, & Andragathii, & Marcellini, &c, non abſque tamen Arbogaſte ſuo, etiam Victores. Non religionis, nec cognationis, nec affinitatis ulla vincula, quin vel ipſam Aurigam Martis, & univerſam ſimul Bellonæ machinam, hoc unius Tui in exitium laxarent, implacabiles retinuêre. In hoc aut ſacrum nihil aut profanum, nullæ gentes quæ gentiles, nulli athei qui non fideles. Ex omni latere quæſiti hoſtes, qui qualicunque modo, è quibuſcunque angulis, protracti aut coacti, nunquam, herculè, Tibi dummodò importuni, non opportuni. Nulla unquam, qualiacunque etiam Meduſæa capita, Meduſæis illis, prope dixeram, capitibus non formoſa, quæ ſalva ſaltem vel è verſo crine, aut ſucciſa è virulento ſanguine, angues funderent in Tui morſum. Quin & Jugurthæ callidi & nothi in legitimũ Te Adherbalem, genuinum Magni Maſſiniſſæ ſanguinem, dolis omnibus, ac per omne nefas, pro alieno titulo & Imperio, graſſati, Tuæ ſuæque dignitatis nundinatores, vilis auri ſcelerato pondere, quæſiêre; ac in Germanis (quod certè pudeat) ſuos quoq; Scauros,

ros,ſuas, ſed hem! ſuos volo dicere, quoque Beſtias, & Albinos ſuos, Reipublicæ Romanæ Principes, in Imperii Romani dedecus, invenêre.

Fruſtranei illi omnes.

Et horum quidem magis quàm viribus ſuorum freti, Titanes improbi jam & Cælum, quod Tuum erat, rati ſuum, & Tuos titulos eſſe ſuos, Te, ut feſſum armis, fractum, & diſtractum, ipſi integri & uniti, non ſecus ac titivilitium; & de Te evertendo, ſua ſomnia velut ipſa Jovis ſuffragia crediderunt. Sed nimirum, qui Te, per quot pericula tot miracula, Imperatorem fecerat, Idem, eadem per tot miracula quot pericula, & Imperatorem Te Tuo Imperio, & Imperatori Tibi Tuum Imperium voluit conſervare. Direxit enim modo mirabili (nempè qui Tua dirigere modo mirabili conſuevit) ut pro Te omnia, per Te omnia, proficientibus ſimul & deficientibus Tuis hoſtibus, extorqueret; & iiſdem ipſis, ſed utrinque fallacibus, Tuis ut periculis, & irritatos illos, ceu cote ferrum, nimiùm acuendo conſumeret, & Te velut integrum ad ſplendorem gloriæ præpararet. Quippe, licet ne Hercules quidem unus contra duos, Te unum tamen, ita variè à Tuis variis deſertum,

tot erumpentibus & irrumpentibus rebellibus & inimicis, plures illos contra Hercules (quales quidem ſe jactitabant) adeo firmavit, ut quamvis caſtris & multis urbibus, non tam ſuorum quàm Tuorum, Germanorum manibus, exutum, tamen, cum Germaniæ vix parte tertia Tibi reliquâ, invictum hactenus Te vincentibus exhibuerit; & illud Os, * illud quaſi Delphicum ipſorum oraculum, quod initio collatorum faſcium, in Te *quid ſumma prudentia, ſumma potentia conjuncta poſſet*, ſe experturum, odioſo ſchemate ſuperbè vulgaverat, inde ſæpenumero expertum, tandem ſe in Cælum, Tibi Cælum militare agnoverit, *Tuaque Domui quot ſumma diſcrimina, tot auguſta miracula*, indignabundum exclamaverit *ſupereſſe*. *Mens*, videlicet ſublimis illa, quæ vel ſuis *volvebat ſidera*, ſic ad conſtantiam Tuæ lucis, debilitatem ſuam, ſuam caliginem profeſſa, & eclipſin pati, & priùs ſe quàm Te deficere, ſentire cœpit; & ſe Armandum in Te armatum, & illâ totâ ſublimi mente, & illo toto ſublimi genio, & totâ illâ, illâ ſummâ ſuâ prudentiâ, ſummæ illi ſuæ potentiæ in Te conjunctâ, ad ſtupenda Tua arma,

*Richeliū Cardi-lem notat.

ac

ac mirabiles Tuas acies, exarmari. Senſit, Imperator, cum *Europam* ille, Tragœdos inter bellorum omnium, verè Tragicus, Tragomaſchalus, tragoq́ue dignus, in ſcenâ *triumpharet*, ſe Tibi interim, & Europæ integræ, in triumphum non jam ſcenicum deſtinatum, ac innumerum miſeriarum ſe pantomimum, ſe architectum, cùm publicarum calamitatum ſtrophas privatim pangere nondum finiiſſet, privatarum publicè, ſed nulli ferè niſi ſibi miſerabilium, triſtis didicit inchoare. Quid enim! Vidit, Imperator, vidit, inquam, Te vidente & eatenus vincente, ſe gangrænam prope terrarum omnium, gangrænâ tandem ſingulos per articulos vaſtari; & arroſâ jam manu alterâ, cùm adhuc altera, ſibi adulantium quidem vano judicio, *volvendo ſufficeret Orbi*, vel utramque deficere ad Orbem Tuum, & Tuâ unicâ verti ſuum. Vidit, ſenſitq́ue ſimul, & corpus miſerè, & magis miſerum tamen animum lancinari; & tantùm miſer quòd Tu non eſſes, ſe miſerrimum, ad vitam Tuam perire ſuam; totumq́ue ſe à ſolo Te, quòd non periſſes, nec interires, peremptum quaſi & interemptum, & perire, & interire. Hæc ille vidit, & Tu vidiſti:

ſti: & vidiſti etiam Tu in purpurâ, illum tandem extra purpuram, nec jam ullâ purpurâ, niſi Chriſtiani ſanguinis, rubentem, ut vivum ſæpius ſic diu mortuum, & locis variè & loculis abſcondi: ne videlicet ea fata, quæ ante fata ſemper timuerat, jam & poſt fata, ipſe fatuæ Fortunæ fatuus ſubiret, & Sejanus Gallicus, quem ille vivus ſed in partem egerat, vel in cadavere perficeretur. Vidiſti deniq; & Monarcham æmulũ (quem tamen æmulum & ille æmulus, ut ſe quendam quaſi faceret Majorem Domus, non ſine ſæculi hujus ſcandalo, prope fecerat non Chilpericum) cum ſuo æmulo nequicquam æmulum, æmulationem omnem Tuæ gloriæ, ſuam vitam Tuo ſpiritui, ſuamque Tuæ magnitudini magnitudinem immolâſſe; ac Tuam ad Majeſtatem & Imperiale diadema Tuum, imminentem illum alienis titulis, & fraudatum Tuis, & exutum ſuis, Tibi adhuc in auro, bis in ſtramine, & vivum, & mortuum, Majeſtatem omnem, & diadema Regium poſuiſſe. Hæc vidiſti, Imperator, & viciſti quia vidiſti; ac Tuis hoſtibus, iiſdem quibus gravis fueras vitâ, Imperio, dignitate potior Tu integer & erectus, de jam fractis & jacentibus trium-

triumphaſti. Triumphaſti, inquam, & fato illo Tuo, fatoque Tuorum hoſtium, decretum Superis Tuis hoſtibus intimaſti, ut nimirum Tua quiſquis deperiret, is periret; ac Tua quiſquis deperiret hunc Te ferire, nec perire.

Agnoſcitur & ab hoſtibus Imperator.

Jactent jam Tui illi, notæ vanitatis hoſtes, ſucceſſum alicubi & alicubi conflictum, Tu tamen hujus & conflictûs maximi, & ſuccesſûs optimi ſecurus, de ſummâ rei, per Dei gratiam, cum victis illis, hâc unâ omnium acierum acie tranſegiſti, invitiſque Imperator factus, tandem invitis etiam (illis quod acerbiſſimum, Tibique felix atque fauſtum) Imperatorem Te agnoſcere & mortuis & vivis, & per vivos quidem illis mortuis armorum conſtantiâ expreſſiſti. Vive ergo, vive Invictiſſime, vive confeſſione Tuorum hoſtium IMPERATOR, qui extorto illo auguſto nomine, vel ſolo illo auguſto nomine, victor bellorum omnium, finem ante bellorum omnium, evaſiſti; ac univerſam Bellonæ machinam, Tuis ſacris & Auſtriacis exceptam trabibus, bellator & debellator novus, novo bellandi genere deſtruxiſti.

Ne

Ne porrò autem Tuum Tibi Imperium, Tuam Iſchomachen, Tuam Hippodamen, Tibi Perithoô, Ixionis legitimo, legitimâ ex Diâ filio, legitimè conjunctam, illegitimi ex Ixione & Nube filii, immanes raperent, fideliſſimum Tibi Theſea, LEOPOLDUM GUILIELMUM fratrem, qui eandem Tibi, profligatis illis inſolentibus & illegitimis Centauris, cum ſuis Lapithis forti dexterâ conſervaret, prudentiſſimè ſociâſti. Hunc enim quaſi Scipio Scipionem alterum, Tuis ſub auſpiciis, Tuos etiam in Antiochos, non quidem Magnos adeo quàm Superbos, expediviſti; ut, quemadmodum periculorum, ſic participem triumphorum faceres, & Africanus velut cùm Tu jam eſſes, illum eſſe & Aſiaticum promoveres. De eo autem quid porrò dicam, aut quid non dicam, Imperator? Non formabo equidem Tibi morum facies, ante armorem acies, Auguſte, non poſſum tamen, quin illum æmulum antiqui moris, & Tuis moribus & ſuis, & iis moribus progreſſum dicam, ut & Camillos, & Antigonos, & Antoninos omnes, ſi continentiâ, tolerantiâ laborum, & pietate non viguiſſent, à virtutibus ipſius, & continentiam,

Archidux apud exercitum.

nentiam, & tolerantiam laborum, & pietatem omnem diſcere potuiſſe, ipſe dicere non erubeſcam. Parum, herculè, in Trajano (quod in Trajano tamen illo, illi ſæculo, tantùm fuit) reſpectu Trajani hujus certè fuerit, *non ſua inîſſe tentoria, niſi commilitonum antè luſtrâſſet, non ſuo corpori niſi poſt omnes requiem dediſſe, tuliſſe ægris opem, aut feſsis ſolatio fuiſſe*; ut Cui, nempè tot millium Rectori, Patri, Præſidi, Moderatori optimo, ſolenne nihil, niſi commune cum militibus habere; eodem de ſitarcio ſæpè veſci; eâdem de galeâ ſæpius potare, moleſtiarum ſemper periodos eaſdem, eoſdem frigoris & caloris æſtus tolerare, ſomni & quietis plus militibus quàm ſibi indulgere, ſua ſolatia non ſua ſed exercitûs reputare, & affectiones ejus, illius vulnera, inſtar capitis, quaſi ſuis in articulis ſentire. Veniet ergo tempus non *quo poſteri* (pro ut ille de Trajano) *aut viſere, aut viſendum tradere minoribus ſuis geſtient, quis vel ſudores ejus*, æſtate mediâ, *campus hauſerit, quæ refectiones ejus arbores, quæ ſomnum ſaxa prætexerint, aut quod denique tectum magnus hoſpes impleverit*; ſed ubi nimirum, hyeme mediâ, mediâ in Germa-

maniâ, militari ſagulo, ſub jove frigido, concretas algenteſque per pruinas, & indurata glacie flumina, gradivus ipſe ductârit agmen: ubi ipſo hyemali ſub ſolſtitio, longas noctes, ſub tectis malè tectis, obnoxius omni vento, cum ſuis egerit, & copiosâ nive, velut ſpumâ cœleſtium aquarum, caput exalbeſcens manè generoſus terſerit: & ubi denique, in ſtratas ſtipulâ culmoque caſas, uſque humile in gurguſtiolum cujuſlibet gregarii tironis, æquè ac veterani militis, ſuam Celſitudinem ſubmiſerit; aſſederit pannoſo, non ipſe conchyliatus etiam, in udo cæſpite; palpârit ſaucii ac miſerè laborantis plagas; nummo ciboque juverit, & in faſciolas, faſciolarum alicubi defectu, alieno corpori, quicquid ſuo proximum, manu propriâ lacerârit. Ita ſe, ſic exercitum, & ita milites qui curare, ille, herculè, novo telo, ſed amoris, corda omnium ſauciare potuit; & totus ut exercitus in ſuo, ſic ille in exercitûs totius animo, non divertere, ſed morari; habitare, non hoſpitari. Illud enim eſt, illud eſt, Imperator, quod è mediâ Philoſophiâ verè Philoſophus, & tantâ quidem cum fiduciâ, Hecaton proclamat: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine* *me-*

medicamento, ſine herbâ, ſine ullius veneficæ carmine; ſi vis videlicet amari, ama. Habet enim hoc miraculi ille mirus humani generis conciliator Amor, quod, ab amante licet in amatum totus tranſeat, maneatque totus, ab amato tamen ad amantem integer totuſque redeat, & amorem amor, quem ipſe genuit, reducat. Quantum ille attamen amoris militi, quantumque miles amoris ſibi, tantundem ille viciſſim Tibi; ac miles ut pro eo vitam, ſic vitam ille pro Te & milite, & pro ſalute Reipublicæ devovit. Sed de virtutibus illius quicquid dixero, minus dixero, Imperator; adeoque dicere jam ſuperſedeo, cùm virtutum ipſi conſcientia ſua ſufficiat, famæ haud ſollicito, quam ut ut ille ambitioſus minimè vel minimè ſectetur, illa tamen fugientem etiam, per ſeculorum ſæcula, jugiter inſequetur. Quippe paſſibus hiſce Tuis & ſuis uſus, eâdem viâ, quâ Tu præiveras, auguſta per atria Virtutis, Honoris eadem ad ſacraria tandem etiam pervenit; felicemque ſellam, inibi penes Tuam, ſumma inter belli Numina, non ab ipſo Marte procul, Tecum in æternum candidatus gloriæ occupavit. Prout cœpit enim ita deſiit, & prout

prout deſiit ita cœpit; ut qui, qualis eſſe nimirũ debuit, ſtatim fuerit. Senſiſti ergo, ſenſiſti, Imperator, ut primùm cœpit, Tibi Fratri Fratrem illum LEOPOLDUM eſſe, quod Tu FERDINANDUS Filius DIVO Patri FERDINANDO fueras; ac virtutis ut Tu paternæ, ſic Tuæ illum virtutis æmulum, ut Tuâ Tu fortunam Patris, ſic illum ſuâ ſtabilire Tuam.

Expeditio illius prima.

Et primò equidem (non ſemel etenim & Tibi nos Archiducem, & nos Archiduci Imperium debemus) ille unà Fabium & Marcellum, cautum & generoſum ſimul, in tempeſtate ſummâ belli, ſuæ ſibi commiſſæ ratis, Gubernatorem egit; ac fallaci illo in Martis pelago, in omnem fortunæ æſtum, ut brevia, Scyllas, & Charybdes, obliquo velo & gubernaculo paratus, inſidias imminentis hoſtis circumſpectus aut evitavit, aut victor mari libero, per ruinas ejus, victoriæ ad portum unum, viâ geminâ, fortitudinis nimirum & prudentiæ, properavit. Ita Baneritum, illum ſuum Annibalem, poſt ſuam Trebiam, Thraſymenum, Cannas, Tuam Pragam, quam ille non ſecus ac ſuam Capuam in ſedem belli jam deſtinârat, ex Albo monte fulminantem,

primò ſuſtinuit, inde in præceps egit; & ad Plavvani alâ alterâ mutilatum volitare ultrà, niſi trans mare alterum mediterraneum, ad ſuam Holmiam quaſi Carthaginem dedocuiſſet, ſi non illi quaſi ſocii, tum non ſocii, latini nominis, Imperii Romani Principes, pennas iterum ad volandum aliò contuliſſent. Contulêre, indulgentiſſime Imperator, & fraude hoſtium circumventi, contra fidem, Tibi publicè, publicis in Comitiis, ſtipulatam, ita clàm Te Imperatore, clam Tuo Imperio, & clam vicino ipſo Archiduce, contulêre, ut niſi hunc Divina Providentia, à perſequendis hoſtibus, ruentem aliàs in aperta, tutis in jugis montium, ac præſidio deſtinatis faucibus, ſalutari quâdam & fatali febriculâ retinuiſſet, procul dubio, totus toto cum exercitu, à ſe jam victis futurus ipſe victima fuiſſet: Sed egêre nimirum, vices iterum ut Tuas agerent, ſuas Fata; ac ſanitatem juſsêre Fratris ad modicum perire, vigorem Tuum, & illius, & exercitûs, & Reipublicæ, in æternum ut conſervarent: Hâc rarâ autem Cæli gratiâ cùm decubuiſſet ille ut Te erigeret, mox viciſſim, ne Tu ſuccumberes, ſe erexit; & ad Sa-

lam;

lam, licèt quatuor ab exercitibus, omni telorum ac machinatum genere impugnatus, unus tamen, uno tantùm exercitu ſuffultus, cæterà tormentis vacuus, inter varias anxietates Orbis de ſe non anxius, adeò generoſus ſtetit, ut dum illi, ceu novi Julii & Labieni, in ſe & Salefeldiâ, Vercingentorigem iterum & Alexiam meditarentur, illos eſſe nec ſibi Julios & Labienos, nec Salefeldiam illis Alexiam, minùs etiam ſe Vercingentorigem, virtute variâ demonſtraret. Quippe tandem aut feroces omnes eorum impetus, aut ingenioſa omnia eorum molimina, ſuo vel ingenio, vel conſtantiâ, & fortitudine fruſtratus, Annibale generoſiùs, non noctè mediâ ſarmentorum incendiis quibuſdam, in Campaniæ Callicularis jugis, imminentes Fabios effugit; ſed in ipſo veluti ſolſtitio diei, nullâ Punicâ calliditate; ſed ſolius Dei & MAXIMILIANI Bavari ſubſidio firmatus; non fugiendo quaſi vicit; & mox ipſe Fabius, inſiſtendo viciſſim hoſti, è ſuo Latio, ad ſuos, ſuo cum Annibale ſentientes Brutios, in unam Haſſiam coëgit. Ibi pugnam ad Fritzlariam, non ſemel, ſimul omnibus cùm obtuliſſet, ſimul omnes eatenùs divicit,

quatenùs Victoriæ confeſſionem, detrectantibus certamen ſimul omnibus, extorſit.

Bauerius ad Ratisbonam.

Multum, herculè, multum ad famam intereſt, Imperator, quo fine bella peragantur, aut quo principio inchoëntur: an nimirum quis incipiat ut Alexander, & finiat ut Alexander; an verò incipiat ut leo, deſinat ut lepus. Eâdem certè, quâ inchoaverat, virtutis periodo & honoris, felix Frater, felicem ſuam expeditionis primæ primam periodum abſolvit; aſt quò ille glorioſiùs finivit, eò majori gloriâ ejus Annibal, jam non Annibal, ut ſe fraudaret, & Hunc bearet, temerarius incepit. Ut primùm enim, trans Danubium, in hybernâ, triumphalis Frater ſe receperat, mox ille rurſus & Tuus hoſtis & ipſius, ceu jam viciſſet qui evaſerat, ſuperbo agmine, è ſuis angulis, Tuam uſque in auguſtam faciem, tandem ut ſuam mergeret, emerſit; & ad illam urbem, è quâ Romanus Tu Imperator, Imperii Romani Principum ſummus Præſes, quaſi alteram tum Romam feceras, non ut Annibal, tertium ultra lapidem, & Anienem, ſed prætersfluentem Iſtrum velut ipſum Tiberim acceſſit: Illum tamen armatum

tum magis Tu inermis, quàm in ſe miſſos Cajus Marius Conſul ſepties, ab oppugnatione Tui, Tuâ velut Majeſtate terruiſti. Et terruiſti quidem illum, & Tuos ſimul confirmâſti, Imperator; qui hoſtes propiùs non accedere, & amicos urbem non deſerere, & quaſi ſuos, quos conceperant, migrare Vejos, non oratione ut Camillus, nec ut Scipio ſtricto enſe, ſed Tuo ad poſteros exemplo, Tuâ præſentiâ FERDINANDUS III. Effeciſti. Plus manendo, quàm monendo alii & agendo, generoſus, prudens, profeciſti; ac, confirmatis Tuis, non aliter, è ripâ unâ, Tu impavidus, in adverſâ, hoſtem pavidum tandem aſpexiſti, ac ſi, ubi ille erat, eſſe Ratisbona, & ubi Tu eras, eſſe exercitus videretur. Et jam, procul dubio, victor eras, qui vel, in urbe perſeverando, hoſtes viceras; ut quos nimirum, ſi non perſeverâſſes, è diſceſſu Tuo, primos ſuos, ſuæ victoriæ, calculos poſuiſſe non ignorabas.

Archiducis Expeditio ſecunda.

Interim autem dum eandem, à Te expugnatam antea, nunc conſervatam urbem, & in eâ Orbem, Tuæ in virtutis teſtem iterum conciliares, Tuus Frater, ſuo cum exercitu, tri-

bus pontibus, trans Danubium, in deſperantes duxit; nec ut Fulvius Flaccus olim, oſtentatâ magis quàm promotâ acie, hoſtem urbis è cervicibus ſubmovit, ſed exercitus parte alterâ, ut venit vidit, ſub jugum miſſâ, illi ſuis cum Tribunis, feroci Slangio, non jam manûs (ut ſileam conflictûs) ſed ſtapedis ipſius gratiam ſupplicanti, poſt Victoriam non clemens minùs quàm antè felix atque fortis, gratiosè dexteram porrexit. Inde Ducem quaſi ſine exercitu, per frigora, per glaciem, per nives; per montes, nemora, per valles; per diſtrictus, Provincias, & Regna; ab Iſtro ad Albim uſque, uno curſu eóque prono, trepido, fatali; fugientem inſequutus (cùm eundem poſt crebra damna in vitæ tædium, & priùs vivere quàm fugere ceſſantem, extra vitam & ſpiritum, in mortem miſeram egiſſet) confeſtim versâ vice, exercitum illius quaſi ſine Duce, ab Albi ad Oacram, ſociorum omnium in una caſtra quæ confunderet, & unius arcis obſidionem unam quâ excuteret, coëgit. Fruſtrà enim, præſente illo, inſeſſi aditus & viæ; fruſtra jugis montium æquati aggeres; & inviti fruſtrà, in nova velut

maria,

maria, & propè ſimile Deucalionis in diluvium, quaſdam ad conſtantiam humani generis, retenti amnes. Penetravit omnia, ductu ſuo, Tuis auſpiciis, Imperator; & liberato Guelphorum oppido, quatuor exercituum obſidionem, expeditione primâ ſuperioris anni, ad Salcfeldiam, cùm eluſiſſet, nunc hujus alterâ, oppugnationem eò loci, viciſſim ipſe quatuor exercituum aggreſſus, animos quò ſuis adderet, inter primos ille (prius tamen, quos privata ad obſequia, honos publicus ſibi junxerat, ſecedere nonnihil juſſis; & Auſtriacorum adhuc neminem periiſſe globo tormenti bellici, præfatus) media inter tela, caſtris ſuorum hoſtium ſucceſſit; ſub eorundem vallo generoſum generoſus equum in gyrum egit; & ad congreſſum Ducum aliquem manu provocans, nullo comparente, ſi non ut Manlius ſtrati hoſtis ſpoliato corpore, certè animo, Torquatus velut ad ſuos rediit. Nullus autem animi hanc magnitudinem, temeritatem fuiſſe judicet; ut quam, nimirum in illo Principe, virtutem meram, non vitium fuiſſe, mirus herculè eventus rerum protinus demonſtravit. Quippe ſui hâc fiduciâ & ſuorum,

rum, fiduciam junctorum hoſtium, mox ſummam in diffidentiam & ſui, & ſuarum virium diſtraxit; & quamvis ipſos non caſtrorum vallos, tamen illam, graviorem ipſis caſtrorum vallis, unionem tot exercituum reſcidit. Vidit enim, fractis illis & diviſis, per diſcordiam transfoſſo aggere, elementa ſuos in ordines redire; ac, ſuffragante ſe naturæ rerum, deprompto mari, aquas aquis, terras terris, ſuiſque fluvios mæandris reddi; & ubi piſces longo tempore, ubi fluctus & procellæ luſerant, ibi rurſus rarum aërem, procul aquis, aquilas ſecare. Vidit, compoſitis inanimatis & animatis, ut componeret, diſſolutis, & illa, virtute ſuâ, in gratiam redîſſe, & horum ligamenta fœderum, Tuæ ut innodaret Auſtriæ, ſe dirupiſſe; quæ ut vidit, dirupit, & innodavit, jam pacato integro Saxoniæ inferioris Circulo, AUGUSTOS iterum ad Te Auguſtum, feliciſſimâ ab expeditione ſuâ, bono omine, Proxeneta nobilis reduxit.

Ejuſdem expeditio tertia. Et jam, Suâ, Tuam cò provexerat fortunam, ut, poſt ſuam, conſummare Tuam poſſe alii viderentur: ſed nimirum non ſuum ſecus quàm Lacedæmon olim, pervicaciæ felicis Holmia, in Thorſtenſonio Xantippum habuit,

habuit, qui,res ſuas tenues & afflictas erigendo, & erectas Tuas affligendo, poſt Franciſcum Adalbertum Saxonem Lavenburgicum, ceu Attilium ſuum Regulum, in Sileſiâ Tuâ cæſum, vulneratum, captum, & pro Republicâ, ſi non in cruce, cruciatu certè & carcere defunctum, præſentiæ Fratris Tui, tanquam Metelli ſui, neceſſitudinem proritaret. Et arma ille, ac paludamentum militare, militaris Princeps facilè reſumpſit, & hunc virum etiam, ut ut militiæ (non fraudandus enim eſt ſuâ laude) peritiſſimum, tum ſufflaminando tamen nonnihil motu, è Sileſiâ, per Moraviam, in Tuam Auſtriam ruentem, & ex Auſtriâ, & Moraviâ, cum exercitu ejecit; & nequicquam in Sileſiâ, conſtantiſſimam ſub fideliſſimis, fideliſſimam ſub conſtantiſſimis Principibus ſuis Brigam, obſidione, primò incolis, inde ſibi terribili prementem, repentino adventu ſuo citiùs ac feliciùs, quàm Mithridatem ſuum, ſuum ad Cyzicum, Lucullus terruit. Terruit, Imperator, & ita terruit, ut quamvis eum, ut Romanus ille illum Ponticum, ad Æſapum & Granicum amnes ſuos, non cæciderit, tamen, inſtar cæſi, formidoloſos

loſos trepidum ſubire fluctus, periculoſa lubricum metiri flumina, ac per Viadrum, ut Æſapum Granicumque ſuum, ſuorum multis gurgitibus abreptis ſe abripere ab ejus facie, per ingentia, ſtaret antequam, ſtadiorum ſpatia, majorem infra Glogoviam coëgit. Fuit ſemper hoc toto bello, Tuis ex eâ parte Mithridatibus, Pomerania ceu Armenia, in quam ſcilicet, amiſſis exercitibus vel imminutis, ad recuperandas vires ſe reciperent, Imperator: hinc ille tum etiam, novo legionum, cohortium, & alarum ſubſidio firmatus, geminatis propè, Tua agmina ut perrumperet, agminibus prorupit; ac ſuas acies, Tuas tandem ut confunderet, admovit. Sed quis LEOPOLDUS GUILIELMUS porrò non in adverſum! Multa certè, ambiguâ in palæſtrâ Martis, generoſis ac prudentibus ab athletis, experiendo nonnunquam fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur. Excepit & infregit impetus tantarum virium infractus ille; nec ambitionem modò præſumptuoſi hoſtis, ſuos extra limites, Tuam versùs Auſtriam, incertis limitibus denuò vagantem, certis limitibus circumſcripſit; ſed & tanti exercitûs, tantique Ducis, quaſi

Mavortium, & hunc à latere, * Pædagogum agens, tota Silcſiâ & Luſatiâ exactum, Lipſienſis inſuper obſidione urbis, eodem terrore illo, quem incuſſerat, excuſſit. Et hîc in illâ jam fatali Tuæ Domui arenâ, & in illo campo fatali ſumus, quem, ſi Fors inimica non feciſſet, nunc quoque, vice versâ, Fraterna virtus Tuis hoſtibus reddiderat fatalem. Ibi enim, offerentibus inimicis pugnam, eâ & prudentiâ aciem inſtruxit, & eâ generoſitate aciem promovit, & eâ fortitudine acie certavit, ut ſe dimicante non minoribus in anguſtiis Thorſtenſonium tum ad Lipſiam, quàm præliantibus Pompeji liberis, ad Mundam olim, non pro cæterâ felicitate, ob levitatem ſcilicet & deſultoriæ Fortunæ metum, ſuis de noviſſimis agitantem Julium fuiſſe, haud abſurdum fuerit affirmare. Non tantùm enim, ut legiones hujus, ſic illius, retrò dedêre gradum, ſed cornu altero manifeſtam in fugam acto, alterò vacillante, uſque eò ferro ancipiti, ſed ancipiti, profecit, ut triumphales ad coronas ejus ſupereſſe nihil, præter coronidem, videretur. Sed quid dicam, Imperator? Quid dicã, inquam, niſi benè dixiſſe dicã quicunq; dixit;

* *Nimirũ eâ ratione quâ Romani Fabium. Maximũ Pædagogum Anibalis dixerunt.*

nulli eſſe fortunæ minùs quàm optimæ credendum. Fallax illa, illa inſolens & malefida Domina, irritantem laurum, quam, hucuſque conſtans, Germano Tuo, & illi debitam, oſtentaverat, momentò levis, ad Tuos hoſtes, jam propemodum porrigentes herbam, repentè tranſtulit; Tuaſque partes, quas ſuperiores virtus Fraterna fecerat, non Labieni alicujus, ut ad Mundam illam, per errorem, ſed immiſſum panicum per terrorem, inferiores ſubitò reliquit. Eſt enim Illi nonnunquam volupè, Imperator, non, in ſummò, bellatores ſecus, quàm infelices, jam viſâ pharo, navarchos aggredi, quos, è portu quaſi, repentino æſtu, inſperatum in naufragium, meram per libidinem, explodit. Sic nimirum,

Nemo confidat ut *nimium ſecundis,*
Res Deus noſtras, celeri citatas
turbine, verſat.

Sic Fortuna,

——— *Sic fata Deûm Rex*
Sortitur, volvitq; vices,

Et, verum ut fatear, Imperator, velle ſemper, hâc humani generis ſuaptè naturâ ſorte in ambiguâ, fœlicem eſſe, eſt velle quaſi naturæ rerum partem alteram ignorare.

Non

Non complaceat ſibi hoſtis interim illo nimiùm de ſucceſſu; qui videlicet, ut ut præter virtutem, meritum, opinionem, felix atque fortunatus illi, ejuſcemodi tum tamen fuit, ut prorſus, ad inſtar Pyrrhi, Dux adverſarum Tibi partium, victoriâ de Germano Tuo, ceu fortiſſimo Lævino Conſule, ſuam apud Heracleam, non inſolentis Fortunæ minùs, quàm inſolentium tum beſtiarum deformitate, comparatâ, perpeſſi ratione damni, potuerit exclamare: *Amici, ſi adhuc ſemel ita vicerimus, non victi tantùm, ſed debellati ſumus.* Vidit enim ſic ſe viciſſe, ut videret eum qui victus erat, quàm ſe qui vicerat, victoris propiorem ſorti; & ſe vinci, illum vincere magis ordinatum, ita protinus, ad ſe vincendum, exercitum reparâſſe, ut cum eodem Pyrrho, eâdem periodo, deplorare ſuam fortunam poſſet: *Video planè me Herculis ſidere procreatum, cui, quaſi ab angue Lernæo, tot cæſa hoſtium capita, de ſuo ſanguine, renaſcuntur.* Sic ille vidit, & non aliter propè fuit, Imperator. Quaſi vires enim ille (mirum herculè) per victoriam amiſiſſet, Tuuſque Frater amittendo quæſiiſſet, ita Hic, ceu ſe ipſo fortior, in illum rediit; & qui antè pro

Archidux Friburgũ obſidione liberat.

pro uno Lævino Conſule, poſt cladem pro Fabricio & Æmilio Conſulibus ſuffecit; ſuumque Pyrrhum, ad ſuum in Saxonia Friburgum ceu Tarentum, non pro retinendo quidem, ſed obtinendo, dimicantem, conſtantiâ, ſpe, fiduciâ, exarmavit. Quippe hoſtem, liberatâ urbe; præcipitem in fugam actum, pertinacem pariter, ad tempus aliquod, in deſperationem egit; & expeditione fine proſpero coronatâ, Tarentum illud ut Reipublicæ, ita Rempublicam in Tarento illo propemodum conſervavit.

Ferdinandi III. Conſtantia in adverſis.

Succeſsêre deinde, non diffitemur, LEOPOLDI GUILIELMI hujus per abſentiam, clades aliquot, quæ eundem quoque ad Dictaturam velut iterum, ſua per diſcrimina tandem revocârunt; ſed quantus Tu in iis, per Dei gratiam, non eluxiſti! Qualem Tu Te Deo, qualem Superis; & qualem ſe Deus viciſſim Tibi, quales Superi non exhibuére! Ut ſe æſtuans Fortuna Tibi, ut æſtuanti Tu Te Fortunæ non oſtendiſti! Bone Deus! Te inter & inter illam quaſi certamen fuit, pluſne illa, univerſum per apparatum ſuum, illudendo; an Tu, unam & invictam illam animi Tui per magnitudinem, eludendo poſſes.

Sed

Sed viciſti tandem (ut vincuntur aſpera ferendo placidè) Imperator; & conſtantiâ Tuâ ſed prudenti, illius de pervicaciâ ſed inſolenti, triumphaſti. Non explicabo Tibi arma jam illius omnia, quæ infractus Tu unus omnia confregiſti, nec tela Tibi neque ſpicula, nec contos Tibi neque fundas exhibebo omnes, quas Tu omnes unico Tuo ſcuto, non cute, non corio, non ferri, nec argenti, nec ullius æris, ſed in Deum fiduciæ ſolius laminâ veſtito, ut retorqueres, irretortus excepiſti: dico tamen, Imperator, nunquam aut uno tempore Rempublicam Romanam, aut unum Romanum principem toto tempore Reipublicæ Romanæ, ſuâ cum majori laude, pluribus ſuffeciſſe. Hi enim ut ut fortes, & illa ut ut invicta, qualemcunque gloriam, hâc ex parte promeruerit, Tuam tamen non adæquavit. Tulerit hæc clades ſuas, quas, infeliciſſima ubi fuit, tulit quatuor ſub Annibale; ſub Cimbris, Teutonibus, ac Tigurinis quinque: ſed peſtis aberat, & Reſpublica Romana; quia concors, reparatis facilè exercitibus, emergebat. Fuerit Pompejus experimento fortis, tamen, unâ victus acie, ſalute deſperatâ, ſuæ togæ involuto trium-

phali

phali capite, Septimio deſertori ſuo reſecandam cervicem præbuit. Fuerint ingentis animi Cato atque Scipio, poſt Pompejum tamen uterque ferro, jam. deſperantem eundem animum, per ſua vulnera emiſerunt. Amiſerit Æmilius Paulus ſeptem intra dies duos filios, privata tamen inter funera felix publicè, medius triumphavit. Tu, Imperator, ſimul publicè, privatim ſimul, ſimul omnem Fortunæ per impotentiam Tuam potentiam exeruiſti; & inter omnia publicè privatimque funebria, Tu tamen animum, ne deſperares, per deſperationem non emiſiſti, ſed Tui corporis auguſtam intra Majeſtatem, pari ſemper fortitudine, ſupra Romanam omnem, omnem Philoſophicam, velut ſaginatum, robuſtiorem omnibus, & impenetrabilem adverſus omnia, præparâſti, prorſus ut oſtenderes, Auguſte, in Te vel *fractus ſi laberetur Orbis, impavidum quaterent ruina.* Diviſum, laceratum, ſciſſum, à Te partim & alienatum, in Te partim etiam armatum, Tuum Imperium vidiſti; & Tu tamen integer modis omnibus permanſiſti. Svveinitzio Lipſia, Lipſiæ Bernburgum, Bernburgo Janckovium ſucceſſit; & Tu tot cladium arie-

arietibus quaſſatus, non ceſſiſti. Tranſylvania bellum novum, novam Martis & Bellonæ machinam, cum metu Turcicæ, animi Tui mœnibus, ut dejiceret, admovit; Tu Te tamen nondum ſaucium demonſtrâſti. Dira Lacheſis, ne, cumulatis bellis, multiplicatis cladibus, cæſis exercitibus & amiſſis, vires facilè, retinendam ad conſtantiam, reparares, Tuas populando terras, peſtilenti ſidere viros abſtulit; & Tu tamen eſſe earundem virium, & ejuſdem animi perſeverâſti. Et quid porrò, aut quid non porrò, Imperator? Hæc eadem, cùm jam antea duos Filios, inde Sororem CÆCILIAM RENATAM Tuo ſolatio ſubtraxiſſet, nunc & noviſſimè Conſortem unicam, prope unicum in ſolatium Tibi reliquam, ad ſpoliandum concuſſum toties, ſi fortè vel ita rueret, fulturâ animum, crudelis movit; ſed ſentientem non cadentem eundem illum, ne tunc quidem infra Imperatoriam Majeſtatem, per Dei gratiam, aſpexiſti. Macte animo, Magne Cæſar, non & tanti Te pœniteat virtutem æſtimare: Fecit Te Ratisbona, fecit Rhetia, & Noricum fecit, per ſecunda Te glorioſum, nunc, omnem in æternitatem, per

ad-

adverſa, propè non miraculis, Clariſſimum Te præſtitiſti; ut qui videlicet hâc unâ, Te inter & Fortunam, luctâ, tot publicarum ſimul & privatarum, fruſtra ſuffragantium ſibi invicem, victor cladium, triumphum, quem de Te ſpoponderat Fortuna ſibi, Tu de Fortunâ nobiliſſimum egiſti. Vidiſti Tu illam adverſus Te, per modos ſingulos, extra ſe; & Tu Te interim infra Te, in nullo caſuum deprehendiſti. Nunquam fecêre publica, ut in privatis forti animo non diſponeres; & privata nunquam ut in publicis, eodem animo non provideres. Cùm legiones domi calamitatum frangeres, fractas in campo militum eodem tempore reſtituiſti, ac diverſas per actiones, diverſis cladibus unâ fortitudine ſuperatis, non Tuis aliter è periculis ac cinere ſuo phœnix, non ſæculorum tamē ſed neque menſium intervallo, rurſus integer apparuiſti. Juſtis tribus præliis Monarchiam Perſicam Darius; uno juſto Magnus Antiochus, & Perſes uno, ille ſuam magnitudinem, hic ſceptrum Macedonicum, ſibi ſemel, in æternum poſteris amiſerunt; Tu pluribus exercitibus amiſſis, & tamē pluribus, ad ſtuporem Tuorum hoſtium, è Tuâ,

è Tuâ, utut bello ac peſtilenti ſidere deformatâ Auſtriâ (quaſi illa jam, & non Scandinavia Tuorum hoſtium, multarum eſſet officina gentium) reparatis, non modò Regna & magnitudinem, Tibi, poſteris, non perdidiſti; ſed vivus etiam ac ſuperſtes, Reges alios & Magnos alios feciſti.

Et quid mirum, Imperator? Ipſa per pericula in pericula, & per ipſas acies adverſus acies, obnoxius omni ictui cùm videreris, ne ulli eſſes, *Loricam* Tibi, non ut ille, *conſertam hamis auroq; trilicem*, ſed ſuetâ in Deum illâ è confidentiâ formaſti; quâ tutus Tu nimirum toto Cæſare, Cataphractam velut Majeſtatem in ullo lædi non permiſiſti. Etenim ut optimum Tu helioſtrophon, non minùs nubilo quàm ſereno die, Tuam jugiter ad Phœbi faciem, vertiſti, ſic Tuum Tuæ, à Majeſtatis illius jubare, frangendam ad omnem nebulam, potentiſſimè firmaſti; ac ſphærâ Tuâ nobili, ſphæræ jugiter nobiliſſimæ Cæleſti, è diametro conformis, ſemper plenâ, nunquam eclipticâ mutuatâ luce, ingruentem quamlibet, & quovis tempore, caliginem diſſipaſti. Nempe Dei ut Tu fuiſti, ita Deum Tu habuiſti; & partes ut illi Tuas Tu com-

Fiducia in Deum, & Dei providentia circa Cæſarem.

commendâſti, ſic illius muniri Tuas, ceu corpus animâ, ſenſiſti. Ut Tu per illum vires Tuas, ſic per Te ille, & magis ille, vires ſuas, privatis ſimul, & ſimul publicis in certaminibus produxit; & humana in Te induſtria, ut laborârit, ipſius tamen Te providentia tutum præſtitit. Hæc tuis hoſtibus, ſuas poſt victorias, victoriarum propè nihil, præter victorias, conceſſit; & quò manifeſtè ſcilicet probaret, puniri quidem, non tamen eripi, Tibi terras deſtinatum, eorum ipſis in victoriis munitarum illis nihil urbium, id eſt ſpei nihil veræ victoriæ permiſit; Tibi verò munitas urbes, Te munitis urbibus, id eſt, in veræ fiduciâ victoriæ conſervavit. Hæc Brigam poſt Svveinitzium, poſt Lipſiam Friburgum, & Brinnam poſt Ianckovium, ceu trinas, plus quàm tricipiti ambitionis Cerbero, præparatas offas (quas ille tamen, tot licèt armatus faucibus, quoque ſingulas non deglutiret) jam ruenti velut in prædam ultimam objecit; & poſt victoriam, ipſo victoriæ ſperato præmio, conſumendam ad victoriam irritavit. Hæc nova bella, bella integra, ut Tranſylvaniæ noviſque bellis, bellis integris Tu ſufficeres, quærentibus in-

indulſit; & bella rurſus, bella integra, à bellis illis, ad Tua bella, revertentibus iiſdem, quaſi Cælo tranſmiſsâ pace, ne Tu deficeres, ſepelivit. Hæc, cùm jam ictum ultimum Fortuna impia fortunæ Tuæ, per proditiones impias, minaretur, Tibi non uno loco, eodem tempore, ibi per litteras capto feroci milite, & captis proditoribus alicubi per chartas, ceu hircum è latebris, novo velut Abrahę, oſtendit; ne, corruptis magnis Ducibus vel interemptis, Tuam fortunam omnem, quaſi Iſaacum, illi non tamen Abrahæ, ut deſtinaverant, ſimul immolarent. Et Hæc noviſſimè (vide, obſecro, pro Te Deus quid voluerit, Tu per Deum quid potueris, Imperator) Hæc, inquam, Tuos hoſtes, ceu obnuptos faciem pueros in ſcenâ, plauſus inter, & inter plurimos, ut apparebat, proſperos ſucceſſus, non niſi mera tamen ad ludibria, ab Ægrâ ad Salam, à Salâ ad Viſurgim, à Viſurgi ad Amiſiam, & hinc ultrà, penè ultimam per Weſtphaliam, vagari; & ſtare alios ultra Viadrum, juxta limites Polonorum, juſſit: videlicet Tibi Cæſari ut in medio, Bojohœmiæ Tuo Regno, non tantùm hoſtibus, ſed & metu hoſtium exonera-

to,

to, creandorum Regum locum faceret; & Tu ſceptra Marobodui, ab hoc ad Te, à ſex & decem, & ultrà, ſæculis, per caſus varios devoluta, Filio majori natu, media inter bella, ſecurus traderes: ut armatam hinc & inde inter ambitionem, in Te, in Filium, in Divum Patrem, ne Cæſares & Reges eſſent vel agnoſcerent, Tu Divum tamen poſt Parentem, confeſſione Orbis, Imperator, Cæſar, Rex, Tuos Filios quoque Reges faceres & Rex maneres; ac eodem tempore quo Poloni VLADISLAOS Quartos, Hiſpani PHILIPPOS Quartos, Dani CHRISTIANOS Quartos, & Galli LUDOVICOS Decimos & Quartos, Tu Tuos inter Auſtrios, poſt FERDINANDOS Primos, Secundos, Tertios, Cæſares & Reges, etiam FERDINANDOS Quartos, quos ipſe feceras, numerares. Nimirũ aureæ illi, illi Sacræ, & Regiæ illi gnomæ, Æternâ de Veritate, in æternũ conſtat veritas: QUI CONFIDIT IN DNO SICUT MONS SION NON COMMOVEBITUR IN AETERNUM.

Inclinantem illius animum ad pacem, multi

Eouſque autem, Tu, Imperator, cùm & per Tua, & Divina magis per ſuffragia, ſtupente, capiente necdum, fœderato Orbe, jam profeciſſes; ac om-

omnibus malis altior, quaſi ipſas per ruinas, Te erexiſſes, ceu Oceano ambitionis Tuorum hoſtium, ſuis terminis ad ſperandum & bellandum nihil ultrà, continuos per aggeres Divinæ providentiæ ſtatutis, tandem ipſum exarmare Martem, quod jam & ab annis ſed fruſtra cœperas, multò alacriùs perrexiſti. Et quid ni alacriùs, Imperator, tam miris cùm in ſucceſſibus, incaſſum, ad debellandum & Te & poſteros, fatigaſſe bello ſe inimicos cerneres; & quoque cerneres, tot per arma, tot per annos, tot per hoſtes, & vinci Te, & per Te poſteros, non potuiſſe, eſſe Tibi, & eſſe poſteris, inter arma etiam proviſis poſteris, viciſſe? Ita, mehercule, Imperator. Licet enim aliquando prælio, nunquam tamen es bello victus; juſtaſque lauros ut Tu plurimas, de bellis integris, integrè meruiſti; ſic univerſas ad olivam unicam, Tu integerrimus, integerrimè nunc direxiſti. Fuit tamen, Auguſte, Tibi, rationum adverſus acies, in palæſtrâ zeloſarum mentium, dimicandum publicè & privatim prius. Scilicet, re in pejùs non inclinatâ, perque Filium firmatâ Domo, quur, amore pacis, debellare bellum Tu inſiſteres, quum huc-

multis rationibus ad bellum incitant.

hucuſque hoſtes, velificati fortunæ proſperæ, amore belli, debellare pacem non deſtitiſſent? Privata illos commoda, publicis Reipublicæ Chriſtianæ utilitatibus prætuliſſe; & ſua compendia (quid habituros etenim, ſuum quilibet ſi haberet?) tot armatis cupiditatibus, infinita pacis per effugia, quæſiiſſe. Carthaginienſes olim cum Romanis, Romanos cum Carthaginienſibus, pertinaci bello, bello duplici, & diffuſo per Hiſpaniam, per Italiam, per Siciliam, Numidiam, Africam, & Europam, decertâſſe; ſed tandem, licèt ultimum ſex & decem, & primum viginti quatuor annorum, æquâ pace, certis legibus, ſeptimanis pauculis finiiſſe; nunc, finienda ad unius hoſtis annorum ſedecim, & unius non niſi undecim annorum bella, propè novennalia per prælludia, an propudia, primum fœderis aut pacis actum, per illos in infinitum Scepticos, inchoari non potuiſſe. Et Vervinii, non ita pridem, ſuperbâ de cunctatione, cunctabundâ de ſuperbiâ Hiſpanorum, congreſſu quamvis non ſemeſtri, queſtos hoſtes; & eoſdem hoſtes nunc ſuperbos, per tot annorum præliminaria, ne quidem aditum ad auguſta templi Pacis limina indul-

dulſiſſe. Bellaſſe ſuis cum fœderatis ut ſpoliarent, ſpoliaſſe ſuos per fœderatos ut bellarent; & Regna integra, Reges inclytos, Mediatores pacis, pacis neceſſitudinem ut evaderent, in morem barbarum invaſiſſe. Mittere Turcas frameam antequam vibrarent; & Romanos, cùm de injuriâ, de fractâ pace, armiſque Punicis, ſua priuſquam ſumerent, per maria, per terras, Carthagine queri mallent, Saguntum potiùs quàm ſolemnia, & jura gentium omiſiſſe; Hoſce frameas, priuſquam mitterent, ſtrinxiſſe, & in occaſionem belli, non Saguntum unam cum Pœno Duce, ſed Saguntos & provincias devaſtaſſe. Et meruiſſe quidem hâc ratione Pœnos & Annibalem, tunc Ethnicos apud Latios, Barbarorum nomen; & nomen latronis magni Magnum Alexandrum, ratione ſimili belligerantem, barbaros apud Scythas inveniſſe: & tamen nunc hoſce modos, ut tantùm modulos, ut parum Ethnicos, nihilque barbaros, ſed Chriſtianos, à Chriſtianiſſimis non improbari. Ejuſdem enim pietatis, conſcientiæ, ſanctique fœderis, innocentem in INNOCENTIUM, & haud meritos tam dura Venetos, Mediatores pacis alios

E pa-

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

(palàm ſcilicet ne pacifico ſuffragarentur Orbi) vicina per arma minas eſſe, & bellum Turcicum videri: ſed adhuc, per Dei gratiam, Cretam ibi, deſtinatam barbaris, non ceſſiſſe; & inhiantes Orbi, bono omine, hic Orbiculo non ſuffeciſſe. Nempè malitiam ſæpè ſui magnam partem veneni bibere; ac felicem impietatem, impiam felicitatem ſtare nunquam in ſolido conſuêſſe. Diviſiſſe illos Italiam cum Turcis, Germaniam cum Suecis, Hiſpaniam cum Bragantino, Hungariam cum Tranſylvano, Poloniam cum Tartaro, Helvetiam cum Allobroge, Belgium cum Batavis, & Weſtphaliam cum Haſſis: nimirum ita & Philippum cum Annibale, Macedones cum Pœnis, poſt Cannas, olim de Romanis, & Imperio Romano; priuſquam occupaſſent, diſpoſuiſſe; & utroſque poſtea in diſpoſitionem populi Romani deveniſſe. Habere ſcilicet, & habere certas periodos Fortunam; ſummaſque poſt victorias, ſummaſque clades, inſanam ibi ſi inſolentiam, & hìc prudentem ſi confidentiam notârit, à caſtris unis, uniſque partibus, ad alias migrare; ac ſcopis in ſcopulos, ſcopulis in ſcopos, immutatis, extrema quæque proſpera-

ra-

rarum rerum vel aſperarum, admira bilium viciſſitudinum in principia variare. Sic Romanus, ſuos poſt Flaminios, ſuoſque Paulos, in Italiâ; ac duos poſt Cornelios, Scipiones duos in Hiſpaniâ, ſuis cum exercitibus amiſſos, ſub tertio deinde in adverſam Africam, ſub quarto denique & in Aſiam emerſiſſe; & eorum hoſtes, ſuas demum poſt victorias, victoriis ſuorum hoſtium, meram ejuſmodi illorum per inſolentiam, obnoxios fuiſſe. Jam Cannas quoque ſuas, ſuamque inſolentiam poſt Cannas, Tuos Pœnos, Philippos Tuos, Tuos Annibales, habuiſſe & hauſiſſe; Tuaſque Cannas, per Dei gratiam, nunc tranſiiſſe: adeoque, Dei per eandem gratiam, modò pergeres in inſolentes, Tuos Tibi viciſſim Pœnos, ſuperbis illis cum Macedonibus; & arrogantes illos, illis inſolentibus cum Philippis, in decus Tui, ſuique dedecus, Annibales reſtare. Difficile enim eſſe ſuperba ut iniquitas plenam noviſſimè in contumeliam, & ſuppreſſa æquitas, in vindictam ſui plenamque gloriam, non deſineret; ac malo principio inchoata non fine peſſimo, beneque cœpta bono exitu non terminarentur.

 Illa,

Alias rationes adducunt.

Illa, Imperator, illa referebant, & hæc addebant: nulli ferè & magna bona, & diuturna ſimul, contingere conſuêſſe; non durare, nec, niſi lentam felicitatem, ad ultimùm exire. Ut ciborum qui nimis avidè nimiùm ſumpſiſſent, ſuam ipſorum deinde per cruditatem; ſic ambitionis intemperantiâ qui præproperè, id eſt præpoſterè, vexarent gulam, ægerrimè ſuam quoque per ægritudinem continere quod ſumpſiſſent. Eſſe aureum in Philoſophiâ omni, magis aureâ tamen in Politicâ & morali, axioma illud quod fieret citò, perire citò. Nempe quatuor è Monarchiis nullam Macedonicâ Græcâque citiùs, Magnum per Alexandrum ſurrexiſſe, ſed & nullam citiùs Macedonicâ Græcâque Magno cum Alexandro cecidiſſe. Nullos Attilâ ac Thamerlane, minori tempore, plus formidinis terrrarum Orbi invexiſſe; ſed nec ullos citiùs, quàm cum Scythis alterum, cum Hunnis alterum, ſuam magnitudinem ac terrorem nominis, in ſe aut poſteris amiſiſſe. Emicuiſſe & Armeniam ſub Tigrane olim ſummam ad Majeſtatem ſemel, & Regnis omnibus vicinis citiùs; ſed Armeniam eandem illam, per eundem

Ti-

Tigranem ſuum, illum ſcilicet Regem Regum, jam unius non Regem Regni, Majeſtatem ſimul omnem, ac coronam coronarum, & diadema diadematum, ad pedes unius Romani principis Pompeji Magni, vertente uno non anni circulo, ſupplicem projeciſſe. Nimirum ut tempeſtates, procellæ, venti, quantò plus heberent virium, tantò minus haberent temporis, ac ipſa concitatione ſui ſuummetipſi in exitium ſævirent; ſic præter ordinem fortunæ impetus, per eoſdem ipſos fortunæ impetus perire, & feliciſſimos ac velociſſimos ſucceſſus ejus, eſſe leviſſimos & breviſſimos conſueviſſe. Id, ut in Attilâ ac Thamerlane, in Alexandro ac Tigrane, in Macedonibus, Græcis, Scythis, Hunnis, & Armeniis, ſic in omni præcipitis proſperitatis belli Duce, in omni præproperæ felicitatis populo, natione, gente, attamen in Gallis maximè modernis Tuis hoſtibus, patêre; ut nimirum *quorum principes congreſſus plus quàm virorum, & minores ultimos quàm fœminarum*, experimentis duorum millium annorum, victa ſemel, inde ſemper Roma victrix, jugiter ſenſiſſet. Eſſe enim pari intemperie, & viventes, & morientes, ſuc-

ceſſus horum, ut reciprocas, & has è facili, æſtûs maritimi procellas; quæ decumanæ licet per auræ Lunæque vitia & errores eſſent, accolarum tamen ſuetis ab aggeribus cohiberentur, ac pòſt, ut antè, æquè facilè, piſcatorum à naviculis triumpharentur. Idem prorſus de iiſdem, rebus fluentibus ac ſecundis, quod Cotys Thraciæ Rex de Thebanis, poſt victoriam ad Leuctra partam, nimiùm tum arrogantibus ac ſuperbis, dici poſſe: *exundare ſcilicet nonnunquam rivulos, & perennibus fluviis majores fieri, ſed non diu; mox enim intra alveum reverti* Et in Thebanis quidem, cum Epaminondâ ſuo ſe erigentibus, & eodem cum Epaminondâ ſuo mox occumbentibus, id apparuiſſe; & nunc de Gallis cur deſperandum? Hoſce nimirum etiam, ſuas poſt victorias, poſt ſua Leuctra, in Palæſtinam uſque, & in Syriam, & in Ægyptum, ſe citis æſtibus olim effudiſſe; ſed tamen, æmulo Nilo citiùs & infeliciùs, terrâ ſanguinis non aquæ fluctibus irrigatâ, ſuetos intra limites ſe recepiſſe. Tranſgreſſos & Pyrenæos in Hiſpanias, perque Pyrenæos Hiſpaniis exactos, porrò temerè extra terminos ne intumeſcerent,

rent,in Regni terminis,& iiſdem mō-
tibus, decreto Superûm, monimenta
ſuæ,non victoriæ, ut Pompejus è ru-
di lapide, ſed cladis miſeræ,per victo-
res Vaſcones, è cruore proprio reli-
quiſſe. Invaſiſſe Neapolim vix eva-
ſiſſe, invaſiſſe Siciliam nec evaſiſſe; ac
fallaciſſimæ proſperitatis in matuti-
nis, qualis illis ſubinde veſperæ ti-
mendæ,unis illos è Veſperis didiciſſe.

Ad hæc ferociſſimos eorum, cre-
bras jam per acies, cecidiſſe; & eſſe
Gallias Chamæleonti non abſimiles,
qui maximum pulmonem habeat &
nihil intus; ſic toto interiori corpo-
re,ære, viris, viribus exinanito, me-
ram ad apparentiam in circunferen-
tiâ veniſſe. Quin imò Galliam extra
Galliam periiſſe;& Galliæ nunc quic-
quid virium, per impotentiam, in im-
potentiam abiiſſe; ac potentiam ex-
tra limites, jam anguſtos intra limi-
tes, latis tantùm, & alienis in limiti-
bus reſtare. Sed & tranquilla licèt in
eâ omnia nunc viderentur, nocitura
tamen, eruptura brevi, ad breve
tempus jam quieſcere, neutiquam
deeſſe. Quamobrem, Imperator, ut
Imperator & Auguſtus, non Mer-
curii equidem talaribus, nec Vulca-
ni adamantino & falcato enſe, aut

Tertias r. tiones addncunt.

ſcuto Palladis, ſed eâdem, quâ conſuêſſes, Divinâ fretus providentiâ, quod Tibi bellum reſtaret triplex, ceu * trinas ſorores Gorgonas, votis, bello, fœdere ſibi ſocias, Gorgonoctonos & invictus Perſeüs, pergeres debellare; ac Tuam Andromedam, Tuum Imperium, Tuam Majeſtatem pariter & illius, ab illius belluis, non jam marinis, ſed terreſtribus liberare. Tuis, ut ſoleres, malis Tu ne cederes, ſed *audentior*, *qua te illa*, *contrà in adverſum ires*; & Cuſtodem qui hucuſque, cum Germaniæ vix parte tertiâ, pro poſſibili, bono publico Te præſtitiſſes, ejuſdem Te boni publici nunc Ultorem ac Vindicem, pro poſſibili præſtares. Bellum hucuſque defenſorium ſi geſſiſſes, nunc recuperatorium gerendum; nec ut novam illi de Germaniâ ſibi Galliam, & novam iſti de Germaniâ ſibi Sueciam formarent, amore pacis ullatenus permittendum. Transferenda potiùs (& potiſſimè ſi faverent Superi) trans maria, trans amnes arma, ut qui alienum Orbem, Orbem Alemannicum, alieno ſanguine, ſanguine Alemannico, (ſtultiſſimum in furorem diſtractis Alemanniis) impléſſent, ſuo & illic Gallias, & ibi

* *Videtur tacitè tres fœminini ſexûs Principes, Reginas Galliæ, & Sueciæ, & Landtgraviam Heſſiæ notare.*

ibi Sueciam implerent; noviq́ue Vari, & aliunde Vari, Germaniam divitem ceu ditem Syriam, ipſi pauperes ingreſſi, jam ſoli penè divites, factâ pace, quotidiano luxu, in æternum deinde pauperem non triumpharent. In hunc eventum humana ſuffragia Divinis, Divina ſuffragia humanis reciprocè ſucceſſura; & faſtidioſi, de alienò, extrema gaudii, in ſuis ſedibus luctum fore. Nullis enim, quibus rapina etiam feliciter ceſſiſſet, ſolatium rapti in poſterùm duraſſe; ac fortunam impiam, tot iniquis ſpoliis, ſuſpiriis, & gemitibus humani generis, privatis æquè & æquè publicis deformem, nunquam in infortunia non deſiiſſe. Contrà, bella Domini eſſe bella Tua, Tuamq́ue cauſam ut Tua pietas, & Tua æquitas, & Iuſtitia, & continentia Tua, præſertim publica in rebus publicis, meliorem faceret facturam procul dubio, tandem etiam & virtutem Tuam, & Dei gratiam ſuperiorem. Hanc eandem nempe, quæ hucuſque fortunam Tibi, Te fortunę, quoque mediis in infortuniis, conſervaſſet; & Tibi pericula, Te periculis, mediis in periculis, ſubduxiſſet: eandem, inquam, & noviſſimè nobiliſſimos triumphos Tibi, Te trium-

phis; & ſucceſſus Tibi, Te ſucceſſibus, in inſolentes omnes, omnem in inſolentiam, utique deſtinaſſe. Ut enim omnia omnium bellorum initia proſperiora cunctis ferè Veſtris hoſtibus, & proſperiores FERDINANDIS Vobis, Vobis Cæſaribus, exitus fuiſſent; ita Cælum æquum, juſtoſque Superos, & nunc haud dubiè, iniquitati quidem ſpem victoriæ, æquitati verò, Tibique Cæſari, victoriam præſtituros.

Cæſar tamen in propoſito faciendæ pacis perſeverat.

Hæc audîſti, non exaudîſti, Imperator; & vera licèt, aut cognata vero, quæ dicerentur, non ignorares, tanti tamen, motum Orbem ut componeres, judicaſti. Scilicet ad leges arma qui direxeras, arma tandem finire legibus concepiſti; ut oſtenderes, exemplo Patris, & Te gladium pro æquitate quidem conſtantiſſimè vibrare, & pacem tamen interim multò teneriùs amare. Et rectè, me herculè, rectè Imperator. Habent enim affine quiddam lux Majeſtas, Pax ſerenitas, Auguſte; adeoque radios auguſtos etiam, ut Auguſtus & Sol terrarum, Martis & Bellonæ nebulas ut diſſipares, venenum omne bellorũ omnium ut conſumeres, & ſerenato Chriſtiano Orbe, novis ignibus, ceu triſulco Jo-

vis

vis fulgure, Mahometis conatus impios, ſed magis impiis Chriſtianorum à conatibus excitatos, fulminares, privato etiam cum diſpendio, ſanctiſſimè expediſti. Quid enim? An munitas ut quaſdam urbes, munita quædam oppida & Caſtella recuperares (quæ recuperari tamen, niſi continuâ annorum aliquot felicitate, & nova interim Germaniæ Tuæ funera, non poſſent) patereris alibi, magno Orbis à Tyranno, maximâ cum ignominiâ Chriſtiani nominis, quati Regna, perire Cretam, & per Cretam Chriſtianum Orbem, cum tot centenis animarum millibus, periclitari? An, ibi Turcis imminentibus, hîcque Tuis Te deſerentibus, ſolus Tu in medio incertis fluctibus Fortunæ dubiæ Te committeres, ac Principibus, magniſque urbibus propè ſingulis Imperii Romani, ſua compendia, imò diſpendia, vel per interitum Imperii Romani, aucupantibus, Tu Imperator, Imperii Tui viribus & ſubſidiis deſtitutus, ſolus ferè pro Imperii Majeſtate, magnitudine, dignitate, privatis ſumptibus certiſque periculis, ad caput fallax bonæ ſpei, incertæque victoriæ promontoria navigares? Dii ſaniora. Videbas ple-

roſque Tuos, jam non Tuos, ſed neque ſuos, echino ſeu hericio incautiores, qui, inſidiarum ubi quid præſenſerit, ſe ſua prudens in arma colligit; illos nec inſidiarum, nec boni publici, neque Tui, neque ſui, nec libertatis (quam tamen nemo bonus niſi cum vitâ pariter amittit) curâ tangi. Non communis patriæ, Imperii communis proſperitatem, decus, gloriam curare; ad quam curandam æquè tamen ac Imperator, ipſi Imperii Romani Principes obligarentur; ut quibus ſcriberes, dum illis ſcriberes, *Noſtris, ac Sac. Rom. Imperii* FIDELIBUS *ac Dilectis.* Martium Coriolanum olim Veturiæ ſuæ matris, Volumniæ Conſortis, & liberorum præſentium reſpectu, ab oppugnandâ Patriâ, cum Volcis, quibus ſe conjunxerat, receſſiſſe; & * Proteſtantes ab uno ſæculo, ſub Carolo Quinto Cæſare, ad Franciſcum Primum, circumventis Mediomatricibus, Argentorato, calliditate pari, ſucceſſu impari, vicinis caſtris, tunc imminentem, adhuc miſiſſe, rogantes *porrò ne progrederetur, cum ſuo Cæſare ſe convenire*, nunc ignaviam, ſeu pertinaciam, nullo reſpectu Patriæ, nullo Cæſaris ad exitium

* *Vide Pontum Heuterum Hiſtor. lib. XIII.*

tium

tium durare. Themiſtoclem olim etiam, propter Patriam, non à Xerxe tantùm, & à Perſis, ſe recepiſſe, ſed quoque maluiſſe ſe quàm Patriam perire; & Genucium Romanum, ac Prætorem Ælium, Patria ut felix eſſet, infelicitatem ſuam potiùs elegiſſe: nunc illos autem, eſſent ut exteri felices, infelicitatem ſuæ Patriæ, apertè quoſdam & juvare, & otioſos plures ac odioſos mediarum partium, quod eodem ferè recidat, ſpectare. Cùm armis ergo neque Tibi, neque ſibi, nec Imperio, nec libertati ſubvenire dignarentur, ut libertatem tamen, & Imperium, & Te, & illos, vel invitos etiam, quantum fieri poſſet, conſervares, Tu pace atque legibus ſubvenire omnibus voluiſti; & auxilio etiam iiſdem eſſe, à quibus auxilium ipſe non habuiſti. In hòc totam, quam pacis Princeps in Te partem ſpiritûs Divini merſit, pacis ſpiritu ad concordiam eduxiſti; & cùm, hiſce rerum in circumſtantiis, ægræ Patriæ atque ſauciæ requieſcere quomodocunque neceſſarium videretur, optimus Reipublicæ Romanæ Æſculapius, inſtrumenta omnia, media & remedia pacis omnia adhibuiſti. Centum Argi oculos ut componeres, & horrenda omnia, jam non Jo-

Jovis, ſed Bellonæ fulmina ut ſopires, Mercurius clementiſſimus contendiſti; & quemadmodum, zelo boni publici, Tuis Te deſerentibus, diutius uſus gladio quàm uti debuiſſe; ſic, amore pacis, caduceo quoque Tuo tentaſſe amplius vederis, quàm tentare debuiſſe videaris. Egiſti, poſt Urbanos & CHRISTIANOS, poſt Gynettios & Roſettos, Pontifices & Reges, & Eccleſiæ Romanæ Cardines, per PANPHILIUM quòd amaret omnes, & innocentem à Chriſtiano ſanguine INNOCENTIUM, ut juxta ſtemma Gentilitium, non gentile tamen ſed Divinum, & Vicario Divino dignum, Olivæ ramum, (poſt bella ſcilicet jam non Dei in humanum genus, ſed humani generis in Se & Deum) Suam per Columbam, offerret Orbi; ac per Chiſium illum Fabium, verè prudentiâ & doctrinâ Maximum, omen Cœleſtium inſignium ſuorum, tantorumque ſanctitatem Nominum ipſe Sanctiſſimus impleret. Egiſti, Aloyſium poſt Contarenum, Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ Legatum, per Naſſovios ac Lambergios, per Cranios ac Volmarios, & noviſſimè per Trautmanſtorffios, Buleutas prudentiſſimos è Buleutis,

tis, & Apolectos ſummos ex Apolectis; ut per eoſdem, neſcio quo fato, ſubnaſcentia in dies ſingulos, in horas ſingulas, hydræ capita reſecares. Et ſecuiſti quidem, Imperator, (& quoties ſubnaſcentia non ſecuiſti!) ſed reſecueris licet plurima, plura tamen veneno vario jam reſectis è capitibus renaſcuntur. Firment tamen, Imperator, firment Superi conſtantiã illam Tuam quam Tu poſſides ac mereris, ſerventque animum quem dederunt; ut tandem primo cum Auguſto Auguſtus etiam, poſt bella plurima, clauſo Jano, victrici, firmâ, unâque pace, annis deinde pluribus triũphes.

Tranſitio ad PARÆNESIN.

Attamen, ſi fortè fruſtra, præter ſpem ac fiduciam bonorum omnium, hâc cum hydrâ, cum hoc monſtro, niſi uras, niſi cremes; dimicandum eſſet; Tibique Cæſari, ceu novo Herculi, candens ferrum, & ignita jacula, admovenda, cum Auguſtæ Majeſtatis Tuæ veniâ, ab Imperatore Te ad Tuum Imperium, à Germaniæ germano Patre, germano Principe, ad Germaniam Germanoſque Paræneſi divertam: ac flagrãti ſtudio boni publici, quales nimirum ſimus, qui fuerimus, per quæ obnoxios Noſtris hoſtibus Nos faciamus, atque demum,

quid

quid Tuis agere ſub auſpiciis, & ſub auſpiciis cunctorum Cæſarum, ad conſervandum decus Noſtrum, Noſtram gloriam, & honorem Noſtrum, Nos oporteat, conſiderabo. Rogo autem, Populares, rogo, ſi quis adhuc libertatis amor, ſi quis Cæſaris, ſi quis Patriæ communis, Nationis, Gentis, nondum ſeras, ſi me auditis, diſſerenti aures præbeatis.

PA-

PARÆNESIS
AD
GERMANOS,
PRO
Communi Patriâ, libertate, gloriâ tuendâ.

GERMANI ſumus (quantum hîc uno vocabulo non dico!) GERMANI ſumus, & ALLEMANNI ſumus, id eſt, juxta Etymon Noſtrorum nominum, viri toti, viri omnes. Tales ab eo tempore Nos probavimus, à quo primùm hoc Cælo frui, hoc ſolum colere, hoc clima hæc terrarum ſpatia complecti, hoſce montes has planities occupare, hoc Oceano marique Balthico prætexi, & hos amnes & hæc flumina, Albim, Viadrum, Amiſiam, Viſurgim, Danubium, & Rhenum, inſidere; ac ultra Rhenum & Danubium, per terrarum Orbem, formidabiles terrarum Orbi, Victoriis graſſati, novam tandẽ, ê vicina Galliâ ac Pãnoniâ, Germaniam Nobis velut, lin-

Quales Germani ſint, & ſemper fuerint, etiam in Romanos.

linguâ, moribus, Imperio, formare cœpimus. Tales Romanis ipſis, juxta Romanos ipſos (quos ut ſoli Gentium terrarum Orbis, *non in primordiis, inſtar aliorum Regum Ducumq́ sed florentiſsimos* aggreſſi fuimus; ſic eoſdem ſoli Gentium vel Conſulares, virtutis Noſtræ, Noſtræ fortitudinis, libris peculiaribus, habere meriti encomiaſtes ſumus) Nos exhibuimus; atque Tacitum non tacere hæc de Nobis epinicia. Romæ etiam Romanum fecimus. *Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum Imperatoris Trajani Conſulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur: tam diu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio, multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpania, Galliævè; ne Parthi quidem ſæpius admonuêre.* QUIPPE REGNO ARSACIS ACRIOR EST GERMANORUM LIBERTAS. *Quid enim aliud nobis quàm cædem Craſsi, amiſſo & ipſe Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone & Caſsio, & Scauro Aurelio,*

Tacitus lib. II. Annal.

De Moribus German.

&

& Servilio Cepione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul Conſulares exercitus populo Romano; Varum, treſq; cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. Nec impunè C. Marius in Italiâ, Divus Iulius in Galliâ, Druſus, ac Nero, & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæſaris minæ in ludibrium verſæ. Inde otium, donec occaſione diſcordiæ noſtræ & civilium armorum expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavêre: ac rurſus pulſi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi ſunt.

Quales autem in Romanos, tales quoque, & non alios, pro Romanis, Nos demonſtravimus; quorum animam militiæ roburque Nos fuiſſe, vel ex ipſis ipſorum militum Romanorum verbis, vocibus, confeſſione diſcimus. Etenim Noſtrorum Batavorum cohortes aliquot quum non nemo Ducum Romanorum olim, Romano ab exercitu, Provinciæ Narbonenſi in ſubſidium, ſegregare conaretur, quis non motus! quæ non trepidatio! *Mœrere ſocii, fremere legiones*, (tanquam ſcilicet abſque Germanis nihil, cum Germanis omnia geſturæ) *orbari ſe fortiſſimorum virorum*

Quales pro Romanis, præſertim in Gallias & Gallos.

Tac. lib. II. Hiſt.

rum auxilio: veteres illos, & tot bellorum victores, poſtquam in conſpectu ſit hoſtis, velut ex acie ſubduci. Si Provincia Vrbe, & ſalute Imperii potior ſit, omnes illuc ſequerentur: ſin victoriæ ſanitas, ſuſtentaculum, columen in Italiâ verteretur, NON ABRUMPENDOS UT CORPORI VALIDISSIMOS ARTUS. Artus ergo atque nervi Romani corporis & exercitûs Germani tum eramus: & quando non fuimus Germani? Fuiſſe certè tum etiam Nos probavimus, cùm Gallos univerſos, univerſas Gallias, quinquennio altero Divi Julii ſimul inſurgentes, Divo Julio & Romanis, Noſtrâ potiſſimùm fortitudine, ſupra Romanam omnem, omnem Gallicam eminenti, Nos ſubjecimus. Sed pugnantem ipſum Cæſarem, & exerentium ſe virtutum, pugnis ſingulis, ſpecimina quoque ſingula notantem videamus. Appropinquante ad Noviodunũ cum exercitu Vercingentorige, *Cæſar ex caſtris equitatum educi jubet, præliumq́ equeſtre committit. Laborantibus jam ſuis, Germanos equites circiter C. D. ſubmittit, quos ab initio ſecum habere inſtituerat: eorum impetum Galli ſuſtinere non potuerunt, atque in fugam conjecti, multis amiſſis,*

Lib. VII. de bello Gall.

ſeſe

ſeſe ad agmen receperunt. Tam admirandam ergo Noſtram, in tam paucis præſertim Noſtris, contra omnem equitatum Gallicum, fortitudinem miratus Cæſar, *trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas civitates, quas ſuperioribus annis pacaverat: equiteſq́ʒ* plures *ab his accerſit, & levis armaturæ pedites, qui inter eos præliari conſueverant. Eorum adventu, quòd minùs idoneis equis utebantur, à Tribunis militum reliquiſq́ʒ equitibus Romanis, atque evocatis, equos ſumit, Germaniſq́ʒ diſtribuit.* Sed quis deinde in extremis Lingonum finibus cum iiſdem Cæſar; & ibidem cum Divo Cæſare quinam illi? Octoginta millia Gallorum peditum Vercingentorix numerabat, quindecim millia Gallorum equitum evocaverat, evocati Vercingentorigi, ſuperbo ſpiritu concionanti, ſanctiſſimo jurejurando confirmari oportere, *ne tecto reciperetur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad uxorem aditum haberet, qui non bis per agmen hoſtium perequitâſſet*, acclamaverant. Et tanta erat fiducia ſui, ut Gallorum nemo, *neminem* Cæſareanis *ab equitibus extra agmen auſurum progredi*, dubitaret. Nec falſi fortè etiam fuiſſent, ſi Divus Iulius Ger-

Cæſar eodem libro.

Germanis, Germani Divo Julio non adfuiſſent. Sed iis præſentibus, probato licèt voto, adque jusjurandum adactis omnibus, in contrarium omnia recidêre. Re enim in ancipiti, *Germani tandem ab dextero latere, ſummum jugum nacti, hoſtes loco depellunt, fugientes uſque ad flumen, ubi Vercingentorix cum pedeſtribus copiis conſederat, perſequuntur, compluréſque interficiunt; quâ re animadverſâ, reliqui ne circumvenirentur, veriti, ſe fugæ mandant. Omnibus locis fit cædes, tres nobiliſſimi Ædui ad Cæſarem perducuntur.* Nec eventu alio, fatalem tandem ad Alexiam, congreſſu gemino pugnatum; nisi quòd (dum Gallos vinci tam ſæpè pudet, Germanos vincere tam ſæpè tædet) diverſo impetu, ex deſperatione illis, Nobis ex indignatione, ira furorque creverit; ſed quo deinceps Nos Germani, & illi denique Galli hoſtes, turpem ad obſidionem primò, ad turpiſſimam deditionem ultimò, profecerunt. De utroque autem, ſervato tamen præliorum ordine, ipſum Cæſarem audiamus. *Summâ vi* (congreſſu priore ſcilicet) *Contenditur ab utriſque. Laborantibus noſtris*, id eſt Romanis, *Cæſar Germanos ſubmittit, legioneſque*

Eodem libro.

neſq;

neſq; pro caſtris conſtituit, ne qua ſubitò irruptio ab hoſtium equitatu fiat. Præſidio legionum addito, noſtris animus augetur: hoſtes in fugam conjecti, ſe ipſi multitudine impediunt, atq; anguſtioribus portis relictis, coârtantur. Germani acriùs uſque ad munitiones ſequuntur. Fit magna cædes. Inde ille ſpiritu, furore, nomine terribilis Vercingentorix, Caſtellis tribus & viginti; vallo, ſudibus, ac foſsâ; foſſæque fluminibus inductis, uni Alexiæ, ceu fera caveæ, Germanis Nobis ſuffragantibus, incluſus. Sed Vergaſillauno conſobrino ſuo, cum ducentis quadraginta Gallorum millibus, in ſubſidium ac prælium accendente, ipſe quoque cum octoginta ſuorum millibus, in oppugnationem, in aciem erupit. At an auſi, immenſam illam in multitudinem, in haſce vires, in hunc delectum totius Galliæ, atque totam quaſi Galliam, ſic quoque Germani pauculi quicquam ſumus? Quid dicam: contemptrix timendorum eſt fortitudo; terribilia, virtutemque noſtram irritantia frangit, deſpicit, provocat, ſub jugum mittit. *Cùm à meridie*, inquit Cæſar, *propè ſolis ad occaſum dubiâ victoriâ pugnaretur, Germani unâ in parte* *Ibidem.*

parte confertis turmis in hoſtes impetũ fecerunt, eoſq; propulerunt. quibus in fugam conjectis, ſagittarii circumventi interfectiq; ſunt. Item ex reliquis partibus noſtri cedentes uſque ad caſtra inſecuti, ſui colligendi facultatem non dederunt. At ii, qui ab Alexiâ proceſſerãt mœſti, propè victoriâ deſperatâ, ſe in oppidum receperunt. Hinc autem, paulò pòſt, conatu noviſſimo, cum iiſdem, Vercingentorix fruſtratus, in Romana caſtra ſupplex veniens, arma ſua, ſuaſque phaleras, ante genua Divi Cæſaris projecit. *Habes*, inquit; *Virum fortem, vir fortiſsime* (per fortiſſimos Germanos ſcilicet) *Viciſti*; hymnoque dicto, & Braccata omnis, & Comata, & Togata, Tranſque & Ciſalpina Gallia juge ſervitium admiſit. Galli autẽ ab eo tempore, prout antè etiam, A GERMANIS (teſte Julio) ASSUEFACTI SUPERARI, *multiſq; victi prœliis*, NE SE QUIDEM IPSI CUM ILLIS VIRTUTE COMPARANT.

L. Florus Rerum Rom. lib. III.

Lib. VI. de bello Gall.

Quales in Gallos & Romanos, Romanos, & Britannos, Italiã & Romã ſimul.

Ut verò virtutis & honoris, gloriæ & fortitudinis in palæſtrâ, de brabeio contendere Nobiſcum erubeſcunt Galli; ſic nullis unquam cunctarum Gentium terrarum Orbis conceſſimus, nedum concedimus Germani.

Id jam olim, Magnum apud Alexandrum; ſub Magni Alexandri facie, ſat magnificè declaravimus, dum, vanitatem ambitioſi juvenis explodentes, interroganti, quid potiſſimùm in hoc Orbe (ratus nominis ſui magnitudinem) timeremus, generoſâ voce, ſed, me herculè, virtutis conſciâ, NIHIL EQUIDEM, NISI FORTE NE CAELUM ALIQUANDO RUERET, timere Nos reſpondimus. *Inſu-Q. Curtii lib. II.* Id verò etiam, illuſtri facto dictoque ſimul, Faſtis certè & Annalibus Romanis digno, noſtris Romæ Friſiis, vel Pompejano in theatro, profiteri publicè ac confirmare libuit, dum (per otium conſeſſum caveæ, diſcrimina Ordinum, quis Eques, ubi Senatus, jam edocti) quoſdam, externo cultu in Senatorum ſedibus advertêre. Etenim, quinam eſſent, & quur ibi, rogitantes, ut Armenios & Perſas eſſe, & id honoris earum gentium, quæ virtute & amicitiâ præcellerent Romanâ, legatis dari didicére; illi ſubito, NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT FIDE ANTE GERMANOS ESSE, exclamârunt: digreſſique inter Patres conſedêre. *Tac. lib. XIII. Annal.* Nec ultra verum utrobique oſtentationem Noſtrâ proceſſiſſe, & illa, & præcedentia, &

ſubſequentia deinde ſæcula (quorum expers virtutis Noſtræ, Noſtræque gloriæ nullum fuit) ſat ſuperque demonſtrarunt. Etenim generoſitati Noſtræ quid impervium! Nullæ Alpes, nulli Pyrenæi, nulla maria, Noſtros impetus tardavêre; nec ullæ Gentes præſidio Romanis, nec ullis Gentibus præſidio Romani, eſſe ultrà ſuffecerunt. Nempè, qui virtute Noſtrâ Romanis ſingulatim, ſingulatim Gallis, ſuperiores fuimus & eramus, poſt in Romanis quoque caſtris, Romanâ diſciplinâ virtutem Noſtram, compoſitam in fortitudinem, digerentes, in id roboris, ſed ordinati, deindè crevimus, ut Gallis & Romanis ſimul, Britannis & Romanis ſimul, ſimul Italiæ & Romæ, ſuperiores eſſe, & Gentes quidem ſingulæ, in poſterum poſſemus. Fruſtrà Galliæ pro Romanis, & pro Galliis Romani; fruſtrà Britones pro Româ, & Roma pro Britannis; fruſtrà Inſubres pro Italis, & Itali pro Inſubribus, pro aris etiam fociſque ſimul, pugnavêre. Non Grajæ Alpes, neque Cottiæ, nec Penninæ Tranſalpinis; nec Tranſalpini Grajis Alpibus, Cottiis, aut Penninis; non Oceano Britanni; nec Oceanus Britannis; non Rhenus

nus etiam, tot Caſtellis, Urbibus, & legionum Romanarum caſtris, Noſtrum adverſus impetum vallatus, univerſis Gallis & Galliis; nec Rheno, Caſtellis, Urbibus, Legionibus, & Caſtris, univerſæ Galliæ Galliq́ue profuêre. Una Gens, unuſq́ue Populus Nationis Noſtræ, legionum ſimul, ſimulq́ue Gentium, ac naturæ ſuffragantis munimina perfregit; & Franci Gallias, Angli Britannias, & Longobardi (*quos* ampliores tamen plurimas Noſtras inter Gentes, *vel ipſa paucitas nobilitabat*) Italiam vicinam Alpibus, occupavimus: & terras illas omnes, Regna illa omnia, militaribus Sacramentis, non in aquâ, ſed incolarum ſanguine ac cruore, baptizantes, Franci Galliis, Angli Britanniis, Longobardi Italiæ, Victores victis, Noſtra nomina impoſuimus an impegimus; eaſdemq́ue terras omnes, regiones omnes, ſaltem adhuc in nomine poſſidemus. Quin & Gothi, Gothones, Wandali, & Fenni, in Scandinaviam tranſmigravimus: ſed deinde Gothi illi, Gothones, Wandali, & Fenni, in alium dominandi ac ſerviendi modum, Polo ſuo ſoloq́ue ſimilem, abiêre. Non jam dicam ergo quales

Tac. de Mor. Ger.

illi deinde fuerint; & quales Batavi Nos ſub Civile, Cheruſci quales ſub Arminio, quales Friſii in Apronium, & Marcomanni olim in Tiberium qui fuerimus, cùm recentiora illa per miracula, debellatis tot illarum Gentium in nominibus, per ipſa quaſi nomina adhuc quotidie triumphemus. Neque huic, perenni magis quàm adamantino trophæo, monimenta plura, inter plurima virtutis Noſtræ, nunc adijcerem, niſi inter ſpolia non duellorum, ſed præliorum; non Curiatûm aut Horatiorum; ſed ferè Gentium & populorum; æternùm in Noſtram gloriam vireſcentem laurum, obſidione liberatum Tuſculum, haud negligere imperaret. Et pertinet profectò ad decus Noſtrum, hanc Iliadem Noſtrę glorię, multò feliciùs quàm Homericam illam ille totam in unâ nuce, hoc fortitudinis in compendio ſpectare. Obſidebatur Tuſculi à triginta Romanorum millibus Antiſtes Colonienſis, & diſtractus Fredericus I. Germanus Imperator, Germanos tamen Principes in ſubſidium cohortatus, Moguntinum Principem & Antiſtitem, cum quingentis ſuis, & octigentis alijs, Germanis omnibus, in arenam traxit. Sed quid cum

tam

tam paucis ille Noſtris; aut Nos cum illo in tot millia, tam pauci? Struximus aciem, in hoſtem movimus, atque palam, ſine aſtu, ſine dolo, ſine fraude, decertavimus; nec Magni inſtar Alexandri (in hâc comparatione neſcio num ſatis Magni) cum triginta millibus terrarùm Orbem, ſed mille & treceni triginta millia, non ſolùm aggredi, ſed profligare conſtituimus. Et ſanè profligavimus Germani; ac mille & trecenti, Romanorum decem & quinque millibus trucidatis, decem & quinque millibus in fugam actis, cum liberato Ubiorum Principe, laurum omnes omneſque civicam jure meriti, multò fortiùs & glorioſiùs, quàm illa decem Græcorum millia, à victo Xerxe, cum Xerxe victa; ex Aſiâ in Europam, Nos mediâ ex Italia, per juga montium, non jam aceto ullo, ullo igne, flammâ, ferro, ſed victoriæ cladiſque nuntio, patefacta, Noſtram in Germaniam remeavimus triumphantes. Atque adeò hâc illâ Noſtrâ ſæculorum omnium virtute fecimus, ut Rudolphus ille Noſter Habſpurgenſis, Nobiſcum quatuor & decem præliorem victor, gloriari merito & jactare etiam potuiſ-

Vide Albertum Magnũ.

ſe videatur, *ſe cum quatuor electorũ equitum, ac quadraginta peditum Germanorum millibus, in qualibet Orbis parte, quolibet Mundi cardine, adverſus omnes omnium terrarum Populos invictum ſtare.*

Germanos Monarchiam Romanã Julio Cæſari conciliaſſe, & à Romanis tandem ad ſe trãſtuliſſe.

Jam & Romanam Monarchiam Julio Cæſari, Romanæ Monarchiæ Julium Cæſarem præparavimus; & Pontificatum Maximum, perpetuam Dictaturam, Tribunitiam poteſtatem, & Imperatoriam Majeſtatem etiam, ſub nomine Principatûs, Illi, poſteris, per illum poſteris, & Populo Romano, Theſſaliæ fatalibus in arenis, hâc eadem virtute Noſtrâ, Noſtrâ fortitudine conciliavimus.

L. An. Florus Rer. Rom. l. 0. 4.

Nam quum diu æquo Marte contenderent, juſſuq; Pompeji fuſus à cornu erupiſſet equitatus, repentè hinc ſigno dato, Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecêre impetum, ut illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatûs, levis armaturæ ruina comitata eſt. Tunc terrore latiùs dato, turbantibus invicem copiis, reliqua ſtrages quaſi unâ manu facta eſt. Atque omnem confidentiam ipſius Ducis in his cohortibus etiam fuiſſe, & cõfidentię ipſius Ducis luculentiſſimè

Nos

Nos reſpondiſſe, è cōmentariis ipſius propriis confirmemus. *Neq; verò Cæſarem feſellit,* inquit, *quin ab iis cohortibus* (Noſtrorum, ut jam vidimus, Germanorum ſcil.) *quæ contra equitatum in V. acie collocatæ eſſent, initium victoriæ oriretur, ut ipſe in cohortandis militibus pronunciaverat. Ab his enim primùm equitatus eſt pulſus, ab iiſdem facta cædes ſagittariorum atque funditorum; ab iiſdem acies Pompejana ſiniſtrâ parte erat circumventa, atque initium fugæ factum.* Ut autem Romanam Monarchiam, victis æmulis, Divo Julio, Noſtro ſanguine, Nos fundavimus; ſic Imperium Romanum illius Sanguini, Cæſaribus antiquis; illius Sanguinem, Cæſares antiquos, Imperio Romano ut conſervaremus, cuſtodes corporum eorundem eſſe & promeruimus & voluimus: obſervaturi ſcilicet porrò ſimul, ne virtute Noſtrâ Majeſtas parta, ad ullam Gentem aliam, poſt degenerantes à fortitudine Romanos, quàm perſeverantes in fortitudine Nos Germanos, ex Italiâ migraret. Et mehercule ille Noſter generoſus animus, Cælo, Superis, & Divinæ Majeſtati placuit, nec diſplicuit Romanæ; ac, illâ proſequente, præcedente, Hæc

De bello Civ. lib. 3.

ſecuta, lætis Nobiſcum paſſibus Noſtram in Germaniam, (quam nempe Noſtram Germani Franci è devictâ Galliâ jam feceramus) Alpes tranſiit, Noſtrique Caroli, adamatam, vel à longinquò magnitudinem implevit. Mànſit etiam in genuino Sanguine, quàm diu Sanguinem genuinum vidit; ſed ubi Sanguinem, mores, linguam, Germanâ ob origine degenerare, atque Francos in antiquos Gallos, & Provincias in antiquas Gallias abire ſenſit, zelopyta Majeſtas, alienum omne, omne ſpurium à Germano more ac cruore, deteſtatá, æterno divortio reliquit Sequanam; Rhenumque tranſiens, à Galliâ Galliſque procul, ceu revocari, ceu intercipi timeret, uſque Noſtram in Saxoniam, & Othonis Magni gremium conceſſit. Et placuit Germaniæ Romanæ Majeſtatis, & Romanæ Majeſtati Germaniæ perennis amor; quo deinde tenerrimè conjunctæ, rivales exteros utrinque jugiter excluſerunt. Hanc autem copulam, ſuffragante Cælo, quaſi Deo auſpice ac Paranympho, legitimè tranſactam, Divina diſpoſitio manifeſto beneficio, ſucceſſu deinde temporis, demonſtravit; dum, neſcio quo

quo ſolœciſmo, immemores nonnihil Noſtri, Noſtræque Majeſtatis, poſt Guilielmum Batavum, circa Angliæ Richardum, & Caſtiliæ Alphonſum, miſerè caligantes Nos Germanos, non ſine myſterio, circa Rudolphum unum, & illum Noſtrum Habſpurgenſem, rurſus oculos aperire fecit; ne videlicet Romanam illam Noſtram in Germaniâ Majeſtatem temeraret quiſpiam non Germanus. Sic verò, nec aliter decere, ut ſit rudes, in hoc non rudes, Noſtri Helveti cenſuêre; cùm rogati à Franciſco I. Primo licet cum eis fœdere tum conjuncto, ſe Germanis ut commendarent, *quid Franciſcus peteret Septemviris ſcripsère; Ne verò ullâ ratione externum Cæſarem, ad ignominiam Nominis Germanici, ſibi legerent, ſuaſère.* Nempe leges atque Reges Noſtri Sanguinis dare exteris qui aſſuevimus, alieni Sanguinis promoveri Nobis, lege nullâ, nullâ ratione patimur; nec, ſi ſapimus, patiemur unquam, etiamſi mediâ in Germaniâ, niſi plenè Noſtrâ, naſcerentur.

Pontus Heuterus Hiſtor. l. VIII.

Neque enim (ut Nobiſcum exteri, Nos cum exteris non fallamur) à virtute Noſtrâ, Noſtrâ fortitudine degeneramus adhuc. Quales enim

Nondum eoſdem degeneraſſe.

hiſce bellis, quamvis perperam plerumque, Nos nos oſtendimus? Quales ſub FERDINANDIS II. III. ſub Bavaro & Buquojo, Tillio & Wallenſtenio, felici luſtro; & infelici, ſub Papenhemio & Johanne Werdio, illo Quintio Cincinnate Noſtro à vomere & aratro, parvâ ſæpè manu non exhibuimus? Quales etiam, ſub Thorſtenſonio, ſub Banerio, & Vinatienſi Saxone, multiplici fortitudine, ſed miſerabili, non præſtitimus? Ipſe GUSTAVUS etiam (ut æſtimator æquus virtutis erat) quotidianis experimentis Noſtrum in encomion eruditus, non ſemel Noſtram, præ ſuorum, fortitudinem extollens, hæc in encomia erupit: *Vos Germanos, fortes herculè, imo Hercules, etiam me non præſente, ſemper ſentio; ego autem meis Suecis ſi non adfuero, nihil rectè per illos unquam in pugnâ geſſero.* Et quid unquam, obſecro, in Nos exteri, niſi ſub Germano Duce; vel Duces exteri, abſque militibus Germanis, faſtis & annalibus geſsêre digni? Quicquid in Alſatiâ, Briſgoviâ, ad Briſacum; quicquid in Bohemiâ, Saxoniâ, Sileſiâ, hoſtis vel amicus ſucceſſuum miratur, ſuſpicit, ſtupeſcit, id totum dexterâ,

terâ, totum capulus Alemannus dedit. Quàm enim fluidi, & imbelles, & Noſtram ad fortitudinem enerves, ubi ſoli; aut Noſtris viribus deſtituti, ſuarum ipſi legionum, militum, cohortium, alarum numero potiores? Ad Dutlingam, exemplo novo, totus integer, unius Legionis inſtar, exercitus oppreſſus; ad Friburgum cæde miſerabili imminutus; ad Mergentalium Noſtris à paucioribus conciſus, & fœdiſſimè fugatus. Jam ad Allerhemium quantam ferociam, furorem quantum, quantum impetum, & confidentiam in ſuis nimiam, Generoſi, fateor, nec infelicis, ſed Galli Principis, Germani pauculi non emendavimus! Ut congreſſus ille Noſtros porrò non detractavit! Ut virtutem Noſtram non abhorruit! Ubi Archiducis deinceps fulgorem armorum vidit, ipſius fulmina non toleravit; Rhenumque tranſiens, ad Sequanam perrexit; virtutemque Noſtram vel invitus candidè laudavit, & candorem præſenti vulnere conſignavit. Noſter LEOPOLDUS autem, ut jam docuerat Gallorum eſſe vicinos forſan alicubi Leones non item Aquilas terrere, expeditionem illam, ut apparebat, æſtatis integræ ſi non ætatis,

tis, fugatis hoſtibus, generoſè victor, compendio dierum aliquot incluſit.

Quur obnoxii ſuis hoſtibus fiant: CAUSA I. Ira in invicem.

Lib. 1. de Irâ.

Quid ergo? ſi Heroës adhuc, ſi Germani adhuc, ſi Allemanni adhuc, id eſt viri toti, viri omnes ſumus, quur tandem, obſecro, per quæ obnoxios Noſtris hoſtibus Nos efficimus? Hìc verò Lucium Annæum Senecam Philoſophum Romanum, de Nobis optimè Philoſophantem, audiamus. *Germanis*, ait, *quid animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriuntúrque: quorum unica illis cura eſt, in aliâ negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magnâ ex parte non tegumenta corporum proviſa ſunt, non ſuffugia adverſus perpetuum Cœli rigorem. Hos tamen Hiſpani Gallíque, & Aſiæ Syriæque molles bello viri, antequam legio viſatur, cædunt,* OB NULLAM REM ALIAM OPPORTUNOS, QVAM OB IRACUNDIAM. *Agedum iſtis corporibus, illis animis, delicias, luxum, opes ignorantibus, da rationem, da diſciplinam, ut nihil amplius dicam, neceſſe erit nobis certè mores Romanos repetere.* Sed acceſſit, Seneca, acceſſit diſciplina, & ab Ulpii Trajani ſæculo, non vagis jam incurſibus,

ſibus, aut disjectas per catervas Nos bellare: *Sed præponere electos, audire præpoſitos, nôſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare; quódque rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in Duce quàm in exercitu*, Germani ſcivimus; & imbellibus opportuni, fateor, PER IRAM ET IRACUNDIAM tamen ſumus. ſed quam per iram? quam per iracundiam? NON IN HOSTEM, SED IN INVICEM. Civilia magis bella quàm externa gerimus, ac, ferarum inſtar, mutuum in exitium, non impetu naturæ, ſed præter impetum naturæ, inſano impetu ſævimus. Quid dico? Feris brutis homines ratione præditi pejores ſumus, & præter rationem rationem ipſam in ſubſidium furoris legimus; ac ipſa eadem quæ in præſidium natura contulit, in excidium & Noſtri generis, & libertatis, & communis Patriæ, admovemus. Per virtutem ipſam, ipſam per prudentiam, ſed, mehercule, imprudentem; per fortitudinem, roburque, quâ cunctis Noſtris hoſtibus præſtamus, & ſervitutem Nobis, & Nobis jugum, & in Nos dominium

No-

Noſtris hoſtibus, meram illam per iram invicem, procuramus. Ut Saxones ſic Belgę, ut Bavari ſic Batavi Germani ſumus; & tamen Batavi, tàm olim, pro Germanicâ libertate, ſub Civile Noſtro, in Romanos ſtrenui; & nunc etiam, Magni inſtar Alexandri, poſt unum Orbem, Orbes alios, Noſtrum extra Orbem, inquirentes, ambitioni alienæ, iræ Noſtræ, domi ſuffragamur: & Germaniam Parentem Noſtram, commune decus atque gloriam, quantum poſſumus ingenioſi, Noſtris cuniculis evertere laboramus. Catti, nobiliſſimas Germaniarum inter Gentes olim non ignobiles; & ne nunc quidem, niſi mobiles, adhuc ignobiles, quicquid virium, quicquid roboris, vires Patrias, roburque Patrium ut enervemus, alienis addimus; & bella etiam, (quòd rariſſimum) inter publica, privata gerimus. Nonnemo Principalium Noſtrorum etiam Columnam unam é pręcipuis Imperii Romani, quantum poteſt tantum audet, erasâ Noſtrâ Aquilâ, quæ Cælum Solemque reſpicit, vicinæ quodam terræ lilio profanare; & (ut profanum, me nauſeante, vulgus audet) ad Galli cantum, Chriſtum Domini, ſuum Cæſarem negare.

Iam

Iam verò (inquit olim Tacitus de Nobis) *infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem ſuo Principi ex acie* (quid ni & bello etiam) *receſſiſſe; illum defendere, tueri, ſua fortia quoque facta ejus gloriæ aſſignare, præcipuum ſacramentum erat*: Nunc autem quotuſquiſque Noſtrorum Principum Imperii Romani, Romano Imperatori atque Cæſari, totus, integer, extremis viribus adhæret? Unus (pace Principum aliorum dixerim) MAXIMILIANUS Elector Bavarus, ille prudentiâ, non alicujus quidem Palæſtinæ, ſed magnæ Domûs Palatinæ Salomon; & in raptores Noſtræ Helenæ, libertatis Noſtræ, Noſtræ Græciæ, delectu Græciæ, fortiſſimus Agamemnon cum FERDINANDO Fratre Archipræſule Colonienſi, ſeptemviro Electore ejuſdem animi, conſtantiæ, vigoris, Noſtram ſtrenuè tuetur Spartam; nec ſtationem deſerens, etiamnum caput galeæ non ſubducit; ſuoque Cæſari, bono publico, loricatam ſenectutem etiam impendit. Meretur quoque hâc in parte ANSELMUS CASIMIRUS Elector Moguntinus, Archicancellarius Imperii Romani, ſingularem laudem; quòd, infirmus licèt armis, pro ſuo tamen

II. quòd cum Cæſare non ſentiant.

De mor. Germ.

Cæ-

Cæſare, quem, ut Cæſar eſſet, ultimo voto juverat, bis elegerit Moguntiâ exulare, quàm ullâ ſpecie deſerto Cæſare, Moguntiam habitare. Sed nimirum illuſtravit illum Fortuna dum vexavit; ac eundem Principem qualis eſſet, per apertos & opertos, omnes irritos, conatus hoſtium, ad pleniorem ipſius gloriam penitiùs revelavit. Nec illum adeò Fortuna victrix, quàm ille victor Fortunam vicit; dum multiplices Fortunæ ictus pro uno Cæſare invictus ſubiit. Multò magnificentiùs habitavit dum exulavit, quàm habitaſſet ſi Moguntiâ pro bono publico non exulâſſet. Exulavit autem! Sed nempe graviùs exulaſſet, ſi extra conſtantiam, fidem, animum, ſuamque mentem, in mentem aliam & peregrinam degener migraſſet: nunc autem quia Cæſari, quia Patriæ, quia Sibi, totus, integer adhæſit, exilio illo ſuo verum exilium effugit. Et profectò ſi Rutilius Romanus, contemnendo patriam, ſuam gloriam privato ab exilio quæſivit, fideliſſimus ac conſtantiſſimus Elector certè, publicè adhærendo Patriæ, ſua per exilia non exilia, perennem gloriam invenit. Ille enim, ut ut etiam generoſus fuerit, ſi non contumax;

ſuam

ſuam Patriam, Romam ſuam, Roma tantum, tantum Patria ut erubeſceret, privatim Elector dubius vitavit; Hic verò ſuam Patriam, & Imperium Romanum, publicè ut conſervaret, exilium nihil exulans, Elector palàm prudentiſſimus, fideliſſimus, conſtantiſſimus intravit. Sed nimirum VIR BONUS *quod honeſtè ſe facturum putaverit, faciet, etiamſi laborioſum erit: faciet, etiamſi damnoſum erit: faciet, etiamſi periculoſum erit. Rurſus quod turpe erit, non faciet, etiamſi pecuniam affert, etiamſi voluptatem, etiamſi potentiam.* AB HONESTO NULLA RE DETERREBITUR, AD TURPIA NULLA SPE INVITABITUR.

Seneca Epiſt. 76.

Jam verò non me latet JOANNEM GEORGIUM Electorem Saxonem, variis & illuſtribus experimentis, etiam fidem ſuam Sac: Rom. Imperio, Imperatori, bono publico, non ſemel luculentiſſimè probaſſe; ac diſcriminibus privatis tangi, angi publicis, & tacitè Noſtrorum hoſtium excandeſcere præſumptiones: ſcio FREDERICUM GUILIELMUM Brandenburgicum generoſi Spiritûs Electorem, haud facilè, ut decedat Imperio Romano quicquam, quicquam

III. quòd ſint mediarum partium.

Roma-

Romano Cæſari, laturum; & injuriis ut privatis affici, ita publicis commoveri: non ignoro Noſtræ Franciæ Orientalis Præſules & Duces, nec non & utriuſque Saxoniæ, Superioris & Inferioris, Principes (ut ſunt Nominis Germanici zeloſiſſimi) Nationis gloriam externis à corruptoribus ſollicitari, incorruptos illos modis omnibus indignari: nec me fugit Imperiales urbes, præſumpta per adulteria Corrivalium exterorum, pro Imperatore, Imperio Romano, & Caſtitate, integritate, & ſanctitate Germani decoris, multùm publicè, privatim plurimùm lancinari; & tamen (ignoſcite Populares) propè ſinguli, reſpectu vario, in partes varias declinantes, unum Cæſarem cum Republicâ, Rempublicam cum ſolo Cæſare; & hunc viciſſim cum hoſtibus Imperii Romani, nec non fortunâ privatâ, publicâ, luctantem, in medio deſtituere, & mediarum eſſe plerique partium incuſamur. Jam autem mediarum eſſe partium, an eſt aliud quàm cum ſuo Principe non eſſe; vel illarum potiùs eſſe partium, quarum causâ cum Noſtro Principe non ſumus? An, qui cum Domino non eſt, ille eſſe contra Dominum; & cum

cum eo qui non congregat, an non diſpergere cenſetur? Catonem certè, partes licet inter duas quaſdam tertias & illas Reipublicæ reperiſſet, & Pompejus ſi viciſſet, ſe exilium, ſi Divus Iulius, certam mortem, prout contigit, ſe electurum prædixiſſet, unas tamen, & Pompejanas illas, ceu nullas medias vidiſſet, ſecutum eſſe ſcimus utique; & Pompejum ipſum, ſe abeunte, veniente Cæſare, manentes Romæ, loco hoſtium habuiſſe non ignoramus. Et profectò Cæcitatis ſummæ etiam videtur, toti corpori exitio imminente; ſuis velle membra utilitatibus inutiliter ſtudere, quaſi totius ſenſus ad partes ſingulas non pertineret; ac eâdem integritate, quâ ſalus omnium, ſingulorum etiam non conſtaret. Rogo, Populares, rogo, an eadem ruina, quæ corpus integrum, quæ totum tollit, membra etiam non involvit? An communibus in periculis privata non advertimus, privata quod ultra commoda, curas Noſtras ad communia non extendamus? An hâc compage, hoc compoſito diſſoluto, totâ Republicâ pereunte, Nos articuli, qui hoc Imperii Noſtri Corpus, cum Noſtro capite totum facimus, illo animam agente, cum illo animam agen-

agentes, tamen adhuc ſperamus integri ſupereſſe? Ejuſmodi ad Epidamnum, mihi credite, nemo navigat ſine damno; & Scopulos in hoſce porrò ſi impingimus abſque dubio naufragio perimus. Etenim ut anharmonicum & execrabile corpus cum animâ, animam cum Deo, meram per contumaciam, diſſentire; ſic omnino exitiabile, Omnes Principes in re publicâ non convenire, & Rempublicam cum ſuo Cæſare non ſentire. *Hic caſus*, ait Seneca, *Romanæ pacis exitium erit; hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tam diu ab iſto periculo aberit hic populus quàm diu ſciet ferre frænos: quos ſi quando abruperit, vel aliquo caſu diſcuſſos reponi ſibi paſſus non erit*, HAEC UNITAS, ET HIC MAXIMI IMPERII CONTEXTUS, IN PARTES MULTAS DISSILIET: *idemq́ue huic Vrbi* (huic Germaniæ) *dominandi finis erit, qui parendi fuerit.*

Lib. 1. de Clem.

IV. quòd militent ſuis hoſtibus.

Et hæ affectiones Nobilium Organorum Noſtri corporis; quid jam de articulis, membris aliis, & de manibus, Populares, dicam, quas mercenarias Noſtris hoſtibus, proprium in exitium, commodamus? Furimus, verbo dicam, inſanimus. Noſtris unguibus pulcherrimam Imperii Noſtri

faciem

faciem fœdiſſimè lacaramus, ut vultus avidos, ut truces oculos Noſtrorum hoſtium paſcamus miſeri, nec expleamus. In cancellis velut ac ſeptis illi, Nos in circo dymolcontas, & leonum inſtar, congredi inſanos vident; Noſtramque mutuam in lanienam totis oculis armati, cæcitatem rident. An dubitamus? Olim cum furore pari Angrivarii & Chámavi cum Bructeris, Bructeri cum Angrivariis & Chamavis, Germani Noſtram per iram invicem ſævilſemus, quid etiam tum aliud Romani? *Ne Dii quidem*, inquit Tacitus, *ſpectaculo invidêre. LX. millia non armis teliſque Romanis; ſed, quod* (ADVERTITE) *magnificentius eſt*, DELECTATIONI OCULISQUE CECIDERUNT. Et quod ipſius deinde votum? *Maneat, quaſo, durétque gentibus, ſi non amor noſtri*, AT CERTE ODIUM SUI: *quando, urgentibus Imperii fatis, nihil jam praſtare Fortuna majus poteſt* QUAM HOSTIUM DISCORDIAM. Annon Idem Nobiſcum faciunt Noſtri hoſtes? an idem odium, eandem iram non Nobis vovent, in Nobis fovent? Illam excitant, in illam incitant, hâc utuntur. Per hanc dementiam illis cadimus, perimus illis, illis cruorem fundimus; aut

De Moribus, an mortis, Germanorum.

aut certè, felices ſemel ſi evaſimus, ſi viximus, Noſtrumque ſanguinem ſi ſervavimus, in hoc evaſimus, in hoc viximus, in hoc ſervavimus, ut illis denuo pugnemus, denuo cadamus, pereamus denuo, & Noſtrum ſanguinem, cruorem Noſtrum denuo fundamus. Et quænam, obſecro, damus vulnera, quæ non eadem accipiamus? quem mittimus per tela ſanguinem, quem eundem non amittamus? aut quando vincimus, quòd non vincamur? O cæcitas! O caligo! Banetios & Thorſtenſonios, Vrangelios & Thurenios, Nos Germani (quotus enim quiſque eorum in exercitibus non Germanus?) furentes ſequimur; queîs deinde ſi quis Gallaſſius atque Gleenius, ſi quis Gronsfeldius vel Hatzfeldius, in adverſùm Noſtras legiones rapuit, quicquid cecederit utrinque, uni Germaniæ, unique Patriæ in totum periit. quicquid ſanguinis Solum Patrium madefecerit, aut jam madido cruoris innatârit, id omne Noſtris, Noſtrum in exitium, è venis fluxit. Pugnamus? hoc jam parum eſt: lancinamur? hoc jam parum eſt: trucidamur & trucidamus? parum eſt; ſcilicet Reſpublica Nobiſcum, Nos cum Republicâ cadamus.

Quid

Quid agimus Germani? laceramur ita dum maceramur, maceramur ita dum laceramur; & eâdem virtute Noſtrâ, quâ faſcinati dolis Noſtrorum hoſtium Nos conficimus, Nos enerves ex potentibus, hoſteſque Noſtros ex imbellibus bellatores aliquos in Nos efficimus. Noſtram illi per iram invicem, & non aliam in Nos ſæviunt, in Nos regnant; ac utroque Marte dum Noſtris hoſtibus diviſi Germani vincimus; unâ arte; juncti hoſtes, Germaniam triumphant. Id à Gallis & Franciſco I. ratione ſimili in Nos graſſante, Sueci utique fœderati diſcere potuiſſent, nî utrique ſimul à Romanis, Romani ab Annibale, Annibal à Macedonibus didiciſſet. Tiberius nimirum ille callidus & verſipellis, nec Noſtræ fortitudinis, vel ſuam per experientiam, ignarus, virtus Noſtra omni ferro, niſi Noſtro, vinci neſcia in furorem ſimilem ut deſineret, ab iiſdem in Nos artibus incepit. Cheruſcos in Marcomannos, Marcomannos in Cheruſcos; Arminium in Maroboduum, Maroboduum in Arminium, id eſt Germaniam, mutuam per iram invicem in ſe armavit: ut ſibi ac populo Romano ſecuritatem, Nos Germanos mutua per diſ-

ſidia

ſidia, in excidia; ac morum, an armorum vitia, in exitia promoveret. Nec, meherculè, ſua vafrum hunc Tiberium vafrities fefellit. Intra annum enim quo timuerat eundem illum Maroboduum (quem, ut inſignem virtute Regem, & ſeptuaginta peditum, quatuor equitum Germanorum millibus ſubnixum, ipſe duodecim legionibus Romanis, id eſt, exceptis ſociis, cohortibus, & alis diverſarum gentium, non minori ſæpe numero, ipſe octuaginta Romanorum millibus, non dico aggredi, ſed ne aſpicere quidem auſus fuerat) extra Solium, diadema, Sceptrum, Ravennæ in Italia privatum habuit. Inde autem & gloriam Romanos Principes quæſiiſſe, & invenisse, è Tacito diſcamus. *Dum ea æſtas*, ait, *Germanico plures per provincias tranſigitur, haut leve decus* (notemus verba) *Druſus*) in hoc ſcilicet à Tiberio in nos miſſus) *quæſivit*, INLICIENS GERMANOS AD DISCORDIAS, *útque, fracto jam Maroboduo, uſque in exitium inſiſteretur*. Druſus ergo, ut è Noſtro jure digni tum vituperio, ſibi laudem; ſic Tiberius, Noſtrâ illâ è ſtultitiâ, prudentiæ non minùs ſibi gloriam quæ-

Lib. II. Annal.

quæſivit. Nam & ille *apud Senatum diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Extat oratio quâ magnitudinem viri* (nimirum Marobodui) *violentiam ſubjectarum ei Gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis, Suáque in deſtruendo eo conſilia extulit.* Sed jam antè Conſiliis iiſdem, quibus Tiberius & Romani, trans Alpes, Germaniam debilitarunt, viciſſim Pœni & Pœnus Annibal Romam ipſam, Romanos ipſos propemodum evertit. Italiam in Italiam, Italos in Italos armavit; & Italiam per Italiam, Italos per Italos debellans, tantùm non captam Urbem à tertio lapide proſpexit. Atque adeò iiſdem artibus capi poſſe & everti non dubitavit, ut Magnum per Antiochum, trans Alpes in Italiam, vice alterâ expediri poſtulârit; profeſſus aliter non poſſe vinci. Et viciſſet fortè & evertiſſet, ſi conſiliis iiſdem, quibus Annibal Romanos; Romani ſuos per Legatos ipſum Annibalem, per armatum Regem odio in Annibalem, non evertiſſent. Jam & Philippus Macedo, ille Magni Pater Alexandri, univerſæ Græciæ cùm immineret, quid egit aliud?

Ibidem, paulò infra.

aliud? *Veluti è ſpeculâ quâdam libertati omnium inſidiatus, inferioribus contra ſuperiores ſuaſit certamina: omnibuſque ab invicem callidè incitatis*, attritos prœliis ſingulos aggreſſus, *omnium ad ultimum efficitur Dominus ac Princeps; ac victos pariter atque victores ſervitutem ſubire coëgit.* Et ita Macedonia, vilis olim & obſcura pretioſæ Græciæ ac florentis clientela, inſanæ Dominæ per ruinam, in Dominium atque Dominam ſuæ Dominæ ſe erexit; & ipſa Domina clientelæ humili, meram illam per iram invicem, in obſequia ſe porrexit. Quin & ipſe Populus Romanus, ut Pompejum inter & inter Julium fatuè diviſus, circa duorum Principum ambitionem, in lanienam mutuam ſe diſtrinxit; utrinque mox in medio, ſuo ſanguine, Rempublicam extinxit. Eodem fato Noſtro quoque vicini fato, nî reſipimus, Germani ſumus; & Rempublicam Romanam, illam Phœnicem Noſtram, quam velut è cineribus illius veteris Nos formavimus, & calore virtutis Noſtræ hucuſque fovimus, vice alterâ, furore ſimili, manifeſta in diſcrimina cæci damus.

Lib. 1. ſupplem. in Q. Curtium.

Atque hæc Imperii, Germaniæ, communis Patriæ, libertatis Noſtræ; quan-

quanta interim non famæ damna? Olim Gentes, olim populi, *Treveri atque Nervii, circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitioſi erant; tanquam per hanc gloriam ſanguinis à ſimilitudine & inertiâ Gallorum ſepararentur*; nunc tantum Gallis, tantum exteris, Noſtram per inertiam & neglectum gloriæ, concedimus Germani, ut Germanos propè pudere poſſit, Germanos naſci. *Vel ſcutum quondam Noſtris hoſtibus reliquiſſe, præcipuum flagitium* Nobis ſingulis *Germanis erat*; *in tantùm etiam, ut nec ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas; multique ſuperſtites bellorum infamiam illam laqueo finirent*: nunc, pertinacem per iram invicem, ceu jam flagitium, ceu ignominia nulla eſſet, in legiones integras conglobati, ſcutis Noſtris, belli gloriam & tantùm ultimum non triumphum de Nobis ipſis, Noſtris hoſtibus procuramus. Quin & Germanicus, Tiberii ex Fratre Nepos, Arminio fuſo acie, *cùm in modum trophæorū arma, ſubſcriptis victarum Gentium nominibus impoſuiſſet*, quid non egimus? *Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quàm ea ſpecies dolore & irâ adfecit. Qui modo abire ſedibus,*

V. quòd ſint Mercenarii alienæ gloriæ. Tacit. de Mor. Germ.

Idem Ibidem.

Idem lib. 11. Annal.

trans Albim concedere parabant , pu-nam volunt , arma rapiunt : plebes, primores, juventus , ſenes , agmen Romanum incurſant , turbant. Ablata nimirum arma, victoriam exprobrari, Germaniæ Gentes aliquas, portionem aliquam victam ſcribi , tum ita indinati fuimus ; nunc autem adeò non indignamur, ut mutuam per indignationem, vinci Noſtram Nationem, ultrò foveamus. Certè quidem Germaniam nunc à ſe victam , Germanos à ſe victos, plenis buccis jactant Galli, crepant Sueci; & vexilla invicem Noſtris manibus (quid enim actum non Noſtris manibus ?) erepta , palam oſtentat Holmia , nec clàm Lutetia; tanquam fractæ jam Germaniæ , & effractis Germanorum manibus , à ſe extorta. Ita turpes mercenarii alienæ gloriæ, virtutem Noſtram, veramque gloriam , Noſtro Sanguine delemus; ac, ut umbratile fortitudinis , virtutis , gloriæ , quaſi victis Nobis , de Nobis exteri , æternum Noſtrum in ludibrium , æternam in ignominiam, ſchema forment, ejuſdem ſanguinis ac cruoris Noſtri, illis, cæci, largè purpuram miniſtramus. Et (verbo ut dicam omnia) inſtar Gentii cujuſdam, & Illyriorum olim , quaſi talentis decem,

cem, Noſtris à Macedonibus, in Imperii Romani bella fatuè corrupti, alieno compendio prorſus militantes, Noſtram Illyriam, ultimam rerum omnium in ruinam, ſtulti trahimus.

Et, obſecro, quàm non longè infra æſtimationem valetudinis & vigoris; & quàm non propè, ipſorum hoſtium Noſtrorum ſenſu, à letho ſumus! Olim Arioviſtus Noſter (cùm, adhærens Sequanis, *Æduorum, totius Galliæ præcipuorum, Nobilitatem omnem, omnem equitatum*, non uno prælio; & uno omnes omnium Gallorum copias cecidiſſet; tantumque terrorem Gallis incuſſiſſet, UT NE VULTUM QUIDEM (ſunt verba Cæſaris) ATQUE ACIEM OCULORUM Germani militis, SE FERRE POSSE profiterentur, à Cæſare accerſitus; *Quis eſt autem Cæſar? &*, SI VULT, VENIAT, reſpondit; & QUID AD ILLUM QUID AGAT NOSTRA GERMANIA? Nunc exteri & Galli (quorùm Reges, ut mandatis Noſtrorum Imperatorum, *ab initio, mediis item ſæculis, ac poſtremis*, obnoxios, ad dicendam cauſam, &, objectis de criminibus ut rèſponderent, citare Noſtram in Germaniam conſueveramus) quaſi mediâ in Germaniâ diſpo-

Quàm hiſce morbis ſint propinqui letho. l. 1. de bell. Gall.

Flor. lib. 3. Hiſt. Rom.

Vide Chiffletii Vindicias Hiſpan. c. 13.

nere de Germaniâ, Germanorum conventum agere, comitia Imperialia, ſua velut per comitia, in jus vocare, & plura facere quàm Imperator, merè Noſtrã per diſcordiam arrogantes exemplo peſſimo præſumunt. Et eodem quidem in hoc conſilio, arrogantiâ, præſumptione, Majorum Noſtrorũ ævo, Varus Quinctilius Romanus, in Teutoburgico ſaltu olim, tribus licet legionibus Romanis, alis totidem, & ſex cohortibus armatus, periit: attamen ab illius ævo, audaciâ, & exitio, uſque huc ejuſmodi *ſibilare viperæ ut deſierunt*; ita nunc, in ipſis propè Varianæ cladis monimentis, quaſi Noſtram in contumeliam, inermes exteri, nec legionibus armati, Germanis omnibus ſuis ſibilis inſultant, univerſam Germaniam triumphant. Vocant? adſumus citati: loquuntur? ut oraculis auſcultamus: promittunt? fidem omnem, Divinę ſimilem, adhibemus: minantur? mancipiorum inſtar trepidamus: & ibi, ſi quid Lutetiâ; & inde, ſi quid Holmiâ, non à Jove quidem aliquo, ſed utrinque mutabili Junone, iræ aut favoris, vel in tabellâ miſſum fuerit, (prô caliginem!) Germani vel avemus, aut pavemus. Et quid reſtat niſi fatum? Imò jam de Nobis,

Flor. lib. IV. Hiſt. Rom.

bis, coram Nobis ; & in Germaniâ de Germaniâ, & Germaniæ, ceu deſperatæ, voluntate ultimâ, quid Nobis auferant, quid relinquant ; quas Noſtræ Aquilæ vellant plumas, quas Gallis addant ; Leonis Scandici ab eâdem Alite quid jubæ cedat, & Leo Scandicus Noſtræ Aliti quid concedat ; & in iis adhuc, quæ legamus, quid tardè velint, quid tandem nolint ; quid nunc admittant, quid cras rejiciant ; quin imò nauſeënt, quid faſtidiant, deſultoriè diſponunt: & Germani, ceu in agone, & illis animam jam agentes, quaſi coram ſupremo Myſtâ, diſcordes adhuc, tantùm illis, relicto Noſtro veroque Numine, idolis velut aliarum Gentium, omnis libertatis, honoris, gloriæ, vitam, ſpiritum, atque animam non immolamus.

Sed hem! jam morbos video; at quod antidoton, dicet aliquis? & an non eò devoluta res eſt, ut ſit omnis ex inimicis ipſis ſperanda ſalus? Dii averruncent hanc caliginem à Germaniâ, Populares, ut trans Rhenum, Moſellam, Sequanam, ibi uſque in hoſtilem Luparam; inde, trans maria ſinuſque, in ſaxoſam uſque Holmiam, per confragroſa rupium, pro helle- *Medicinā ab illorum hoſtibus illis non ſperandā.*

boro bilis Noſtræ, Germaniæ ſit re-ptandum. Neque enim cum Achille quodam certamen Nobis, ut novi Telephi, ab eâdem cuſpide, quæ latus hauſit, ſanitatem expectemus. Sed enim libertatem illi Noſtrã, Noſtram valetudinem, arte, Marte, promotaros plenis buccis utrinque crepuêre? Itáne? Galli, Sueci, exteri, Noſtram libertatem? Nempe ut Valeſius Henricus cùm Imperio Romano, Metas, Tullum, Verodunum. Jam à Trajani ſęculo Politicorum Princeps Tacitus illam Nobis, hoc trito ſchemate, larvam detegit: *libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quiſquam alienum ſervitium, aut dominationem ſibi concupivit, qui non eadem illa vocabula uſurparet.* Uſurparunt, fateor, & uſurpant hoſtes; ille titulus bellorum omnium in Nos fuit: quin imò publicè & ſolenniter Francofurti, Ulmæ, Heilbronnæ, alibi, *Se, præter Confœderatorum libertatis conſervatæ gloriam, in Germaniâ nîl quæſituros*, & jurârunt, & jurejurando, non uno etiam confirmârunt; & tamen.

Lib. IV. Hiſtor.

En hæc promiſſa fides eſt.

Alſatiam Archiduci, Pomeraniam Conſanguineo Electori, Bremenſem ditionem Regio Principi, tot Povincias

cias Imperio Romano ſubtrahunt; & eandem *libertatem* adhuc (non audiſtis?) terris pluribus *minantur*. Reſtituit Imperator Noſter Guelphorum arcem Brunſvvicenſibus Dynaſtis, cùm juramento non promiſiſſet; & Sueci tamen Principibus iiſdem, Nieubürgum, quod, ſummas à LEOPOLDO in anguſtias Anno 1640. redacti, ſi ſe conjungerent, reſtituere jurârant, depulſo periculo, uſque hodie non reddiderunt? Reſtituit Imperator Noſter Trevirenſem Electorem bello captum, pacis ſtudiò, quòd non promiſerat, ditioni, terræ, libertati; & Galli interim Philippopolim an Trevirenſi; ipſoſque Treviros, quod promiſerant, ſuo præſidio num permisêre? Reddidit Auguſtus Noſter Auguſtam etiam, obſidione anni integri ad obſequia coactam, ut Princeps verè continens, honori; & eandem Auguſtam illam an non fecit GUSTAVUS, ille non Auguſtus (quòd eam fortè Mars armatus, ut cariſſimam ejuſdem religionis Nympham, ceu novam Venerem, abſque tamen Vulcano ſuo, teneriùs amaret) ad arbitria venientem ultrò, procul titulo jam libertatis, ſolenni formulâ, Coronæ Suecicæ inaugurari? Nempè profanum illud,

illud Ethnicum Divi Julii, in hoc non Divi, ipſi altiùs præ Germanis Nobis (qui, à quo Chriſtianiſmo imbuti ſumus, tantùm pro Imperio., quod poſſidemus, dimicare; nec ullius terras, provincias, & Regna, niſi fidei juratorum hoſtium, ambire conati ſumus) imbiberunt: *Si jus*, *fides, æquitas, religio violanda eſt*, *regnandi gratiâ violanda eſt*; *in reliquis pietatem ſerves*. Et quid aliud, niſi verbis aliis, Henricus illius nominis Rex Galliæ Secundus, cùm Turnonio Cardinali, juxta Schomburgicas tranſactiones, & conventionum religionẽ, tres Epiſcopatus, Noſtro Imperio detractos, reddere ſuadenti, *Rationes ſtatûs cum breviario ipſius*, id eſt pſalmis Davidicis, an ſacris litteris, *non convenire*, quaſi ſine ſcrupulo reſpondit? Eructant ſcilicet ut evertant libertatẽ, nec Rubiconem illo impio cum Dictatore, niſi opprimendæ libertatis, & Reipublicæ Romanæ zelo, votis, impetu armati tranſeunt. Et ab iis, obſecro, quid præſidii in libertate ſinguli ſperemus, qui jam dudum, ambitionis non uno gutture, nos glutientes, Noſtra Sceptra non eſſe Noſtra, Noſtras Aquilas non eſſe Noſtras, Noſtrum Imperium non eſſe

eſſe Noſtrum, Noſtram Germaniam non eſſe Noſtram, & Nos Germanos etiam non eſſe Noſtros: ſed totos, integros, quales quales ſumus, merè, plenè, integrè, eſſe ſuos, ſcriptis publicis aſſeruerunt? qui ad ſua ſceptra, diadema ſuum, Coronã ſuam, non uno volumine Nos revocârunt: digni, herculè, ut, boni ominis haud negligentes, ad eoſdem, ſed quales olim, vice alterâ veniamus. Quin imò, ſi non ſuos, tales ſaltem Nos eſſe Noſtros, ſcriptis publicis religioſi optant, ut ſatius nonnihil æſtiment, Germaniæ, Noſtroque Cæſari, Viennam Noſtram, vel ipſis à Turcis eripi, quàm à Germaniâ, Noſtroque Cæſare Budam perditam recuperari.

Deinde, ſi vel candidè Nobiſcum agerent, qui tam candidè Nobiſcum agunt, an exſpectabimus ut iidem majorem Nobis, majorem ſuetis, libertatem curent, quàm ipſi, infra libertatem, certè Noſtram, ſervitio vicini habent? abſit, populares; nec ſperemus id Magnates unquam, plebei nunquam. Jam olim enim, de hoc Ordine inferiori ſcilicet, propriam per experientiam non unius anni, Julius Dictator ait. *In omni Gallia eorum hominum, qui in aliquo ſunt numero atque honore, ge-* *Non plebeis.* *Lib. 6. de bel. Gall.*

 nera

nera ſunt duo(equitum nimirum alterum, Druidum alterum) NAM PLEBS PENE SERVORUM HABETUR LOCO, *quaper ſe nihil audet, & nulli adhibetur conſilio. Plerique cùm aut ære alieno,* AUT MAGNITUDINE TRIBUTORUM, AUT INIURIA POTENTIORUM, *premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant Nobilibus; in hos eadem omnia ſunt jura quæ Dominis in ſervos.* Jam *Gothones* hoſtes alteros, *trans Lygios* REGNARI, *paulò jam addictiùs, quàm cæteras Germanorum Gentes,* ſcribit Tacitus; & *apud Suiones imperitare unum,* NULLIS IAM EXCEPTIONIBUS, *nec precario parendi jure: nec arma, ut apud cæteros Germanos, in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode,* ET QUIDEM SERVO: *neque Nobilem, nec ingenuum, ne Libertinum quidem armis præponere, Regiam,* apud illos, *utilitatem eſſe.* Scilicet, juxta intemperiem ſui Soli ſuique Poli, ab extremo uno, ut ſolent vitia, nunc ad aliud barbaries degeneravit; & modò multò viliùs ad arma, inviti etiam, coguntur, quàm iiſdem olim ut mancipia fraudabantur. Addit Tacitus, & *apud illos* nullum *opibus honorem eſſe*; quem eſſe quidem nunc immodicum, nec minùs animo quàm

De Mor. Germ.

Re-

Reges corpori dominari, Noſtra, prô dolor! Germania (quam, ut è cupreâ quaſi argenteam, imò auream ſibi Sueciam formarent; ex argenteâ imò aureâ viliorē propè cupreâ fecerunt) deformata miſerè deplorat. Sed ut à propoſito non abeamus, Conſularem denuò digna Faſtis narrantem Tacitum audiamus: *Suionibus Sitonum Gentes continuantur*, inquit, *cæterà ſimiles, uno differunt* (ſed an jam differunt?) QUOD FEMINA DOMINATUR: *in tantùm non modò à libertate, ſed etiam à ſervitute degenerant*. De Fennis jam nihil dicam, ut quos egeſtas extrema quidem, extremam etiam in ſervitutem; vel extrema ſervitus extremam in egeſtatem; vel utrumque, infra ſervitutem & egeſtatem, in novam velut libertatis ſpeciem egiſſe ſimul, è Cornelio his ſequentibus pateſcit. *Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, veſtitui pellis, cubili humus. Sola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemq́ venatus viros pariter ac feminas alit: paſſim enim comitantur, partemq́ prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumq́ ſuffugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc* *De mor. Germ.*

re-

redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatiùs arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare ædibus, ſuas alienáſque fortunas ſpe metuq; verſare. Securi adverſus homines, ſecuri adverſus Deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit. Quâ beatitudine an Fenni adhuc moderni gaudeant ut valdè dubito; ſic eandem ſi retinerent, Nos Germani, illis, arbitror, non invideremus.

Non Optimatibus. Sed nimirum, Plebeji illi; at Germani Principes, Optimates, Duces, porrecto Malo aureo à vicinis illis Medicis fruentes, in vigorem priſtinum, ſanitatem omnem, & libertatem plenam proficiemus; *& erimus ſicut Dii.* Videamus autem, Populares, rogo, videamus, ne circa bonum atque malum minùs providi, ab Inſidiatore Sathanâ circumventi, ſerò apertis oculis, & nudos, & inermes, & enerves, repentè Nos miremur; ac ad cujuſlibet aſpectum, memoriâ fortunæ veteris, & præſentis ignominiâ ſuffuſi, toto Paradiſo Noſtro non exulemus. Certè uno eodemque fato, utriuſque Regni Noſtrorum hoſtium Reginæ, Reginæ Matres, Reginæ viduæ, Magnorum etiam, Henric ſcilicet & Guſtavi, utriuſque tam

bene

bene meriti, fructum illum probationis ut guſtârunt, in tantùm tandem evaluerunt, ut utraque tantæ gratiæ curæque ſatia, diverſo ſtrategemate, uno voto, utrumque Regnum, paradiſum, libertatem fugiens, libertatem in ſe nimiam deplorârit; & Illa trium Coronarum, regnorum trium ipſis Domina, Inſterburgi in Boruſſiâ, uno ab exilio libertatem cœperit; & Iſta trium Occidentis Regum Genitrix aut Socrus, apud tres Orientis Reges, abſque auro, abſque thure, in unius contemplatione myrrhæ, Princeps miſera Vitam miſerè, apud Ubios terminârit. Jam de Guiſiis, E boviis, Belfortiis, Vindocinenſibus, Valetanis, Buljonæis, Sueſſionenſibus, Regumque Fratribus, nihil dicam: quid enim, poſt Reginas ipſas ipſarum Gentium, ab ipſis Gentibus ſic curatas & cicuratas, quibuſvis Ordinis ipſorum Principes; & poſt illos demum quid Nos exteri ſperemus? Certè quidem, ſic, quibuſdam *â Spiritibus Procellarum*, Magniſque *Mentibus*, *Germanica*, in Germaniâ, *volvi Sidera* non aſſuevimus. Dicam tamen amplius, Populares. Non crùori, non ſpiritui, non vitæ parcitur. Ut enim vis, ſulphur, ignes,

ignes, flammæ, tormenta, machinæ apud illos, *ratio ultima Regum*; ſic & voluntas eorundem ſuprema lex eſt. Vade, & vadit; veni, & venit: ſi non vadit, ſi non venit, mox exilia, aut Baſtilia, ſecures, ferrum. Quotuſquiſque Gothorum, Suionum, & Fennorum etiam, Rempublicam illorum dirigit, aut direxit; vel Noſtram in Germaniam, & Nos Germanos, legiones duxit, belloque præfuit, cujus Patris, vel Avi certè, GUSTAVI Pater Princeps Carolus, in viridario profano Regni, ceu papaverum Superbus ille, caput innocens non decuſſerit; & exilio ſi non multârit, immiti gladio non mutilârit? Jam & Gallia (ut de Thuano, Cincmartio, Mariliaco, nihil referam) etiam Montmorantio, Familiæ ut antiquiſſimæ ſic nobiliſſimæ totius Galliȩ, tantique Nominis hæredi unico, hæredi ultimo, novi hominis è conſilio, non pepercit. Sed nimirum, ut ibi jugum, ita Regnum hîc Gallorum; apud nos Germanos autem *Rex apum ſine aculeo eſt. Noluit illum Natura nec ſævum eſſe, nec ultionem magnò conſtaturam petere, telúmque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens. Eſt enim*

Sen. lib. 1. de Clem.

illi

illi mos, exerere ſe in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere. Et profectò, Noſtros Cæſares, FERDINANDOS Noſtros, vel Auguſtos etiam ac mirabiles hâc in parte ſe præſtitiſſe, ipſi hoſtes Noſtri utique non negârunt. Anhaltinum Principem Chriſtianum, præcipuam, poſt Palatinū Bohemici belli Facem, eâdem die, quâ ſupplicantem Orbis viderat, impetrantem Cæſareæ aſſidere menſæ, operire caput; &, à clementiâ ſumentem animum, ipſam clementiam devotis jam ſtupere verbis, ſtupuit inſuetus. Sed, ad exempla ſi deſcendero, quis finis? Paſſim adhuc Germania, omittendo potiùs quàm committendo, ac clementiâ, non licentiâ, peccâſſe, devota murmurat, infenſa loquitur; & majus apud eos fuiſſe ſemper deſiderium condonandi, quàm libidinem apud alios peccandi, uno ore fatetur omnis. Quippe citiùs quibuſdam vitam, honores, gratiam, ditiones, terras, clementiſſimi reddiderunt, quàm illis, ut eaſdem peterent, perſuaſum eſſet. Alienæ iræ plurimos eripuerunt, ſuæ verò pauciſſimos impenderunt. *Nempè nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriúſque* *Idem eodem libro.*
eſt,

eſt, quàm illa corona, OB CIVES SERVATOS. *Non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia. Hæc Divina potentia eſt, gregatim ac publicè ſervare:* MULTOS AUTEM OCCIDERE, ET INDISCRETOS, INCENDII AC RUINAE POTENTIA EST.

Probatur per experientiam, & exempla.

Verùm enim verò in ſuos ſubditos, Plebejos, Principes, qui virgâ ferreâ ſe Roboâmos, ac moderatione propè Minoës ac Rhadamanthos; iidem ſcilicet in Nos exteros, per indulgentiam, totos, integros, planè, integrè, ſe Evergetas exhibebunt? Caveamus, Populares; caveamus, Germani Principes, ut ita ſentiamus. Qui ſuis enim, qui ſuo corpori, qui ſibi nequam, quibus boni? Nimirum jam in Alſatiâ ac Pomeraniâ, ad Viadrum & Rhenum, cujuſvis Ordinis, conditionis, ſtatûs, ſingularem illam gratiam experti, Noſtram Germaniam à Galliâ, & à Succiâ, non Regnorum adeò quàm morum terminis, diſtinguere Germani diſcimus. Solenne Noſtris Imperii Romani Eccleſiaſticis Electoribus, Primores Metropoliticarum Eccleſiarum, ut Eccleſiaſticæ dignitatis principes, Electorali adhibere menſæ; Dux Anghia-

hianus, Princeps juvenis & Gallus, Electorali dignitate procul, ſecedere ad menſam alteram etiam Decanos juſſit. Solenne Noſtris Imperatoribus & Auguſtis, indulgere gratioſo nutu, dextrâ, indice, aſſidere Principes Germanos ſibi, operire caput, & familiares, Majeſtate ſuâ, periodos miſcere; ſed ut Bernardus Dux Vinariæ, tam de Galliâ fœderatâ optimè quàm de Germaniâ Noſtrâ peſſimè reverà meritus, coram LUDOVICO Rege, congreſſu primo, more Noſtro, caput texit, Bone Deus!, ad tam grande nefas, Aula Gallica ut non obſtupuit, non infremuit & trepidavit! ut Galli Principes Reginalis Majeſtatis ad conclave non cucurrêre, & ſedilibus, excepto unico, ſublatis, divertenti ſcilicet à Rege ad Reginam deinde Duci, Illi unicæ ſedendi, Huic autem ſtandi gratiam ut procurarent! Ut Magiſter ille & cæremoniarum Arbiter, à tanto velut ſolœciſmo in Paroxyſmos varios abreptus, coram Principe pòſt non inhorruit; & hanc in poſterum inſolentiam deprecatus, totius Galliæ manifeſta ſcandala non allegavit! Sed nimirum Ille ſe Saxonicæ, antiquiſſimæ ſtirpis Principem, & Germanum, etiam

etiam in ipsâ Galliâ non eſt oblitus; &, Majeſtatem communis Patriæ cùm armis publicis publicè ad Rhenum læderet, ad Sequanam, & in Lupara, privatim tamen in perſonâ propriâ, reſpectu Patriæ, voluit conſervare: Jam & GUSTAVUS ADOLPHUS, cùm ad nutum è Principibus Germanis unum non habuiſſet, in omnes quomodo in tentorio ad Norimbergam non detonuit? *Fore ſcilicet aliquando tempus quo libertatem eorum illam, illam arrogantiam & contumaciam in ordinem redactam, obſervantia & obſequio Nobilitatis Sueticæ ſuccedaneam parémque faceret.* Sed nimirum ut eundem Bernardum Saxonem Vinarienſem, penes tentorium, pallâque tantùm intermediâ diviſum, invectivæ ſuæ, quòd non putaverat, auditorem ſe habuiſſe, nec ſine indiciis commoti animi ſubitò propria ad tentoria divertiſſe equitem intellexit, non minùs jam, quàm indignatus antè fuerat, expavit: & quo in loco, quibus rerum in circumſtantiis, & quàm tempore adhuc non ſuo, ſe prodidiſſet, haud ignarus, non jam quieſcere, non morari; ſed eques mox per caſtra vagus, per Cracovium Tribunum primò obvium, uſque ſuum

rurſus

rurſus in prætorium mitigato Principi, & linguarium dare non erubuit, & incautum iræ, impetûs, & linguæ ſolœciſmum, larvato non uno ſcemate redemit. Sed GUSTAVUS perſonam adhuc Regiam ſuſtinebat; de Oxenſternio Legato Suecico quid dicam? Ille nobilis tranſmarini Regni, & ſuæ propè conditionis immemor & alienæ, Antambulonibus Principibus Germanis uti, ab iiſdem ſuam ab utroque latere ambiri rhedam; detecto capite ſibi porrigi lavanti aquam, mantile, dapes; & Electores ipſos, ſuos velut inter Aulicos numerari ſuſtinuit arrectâ fronte; ac ſupercilio quodam aſpernari, caſtigare, plectere, ſi quid in Germanis & Germaniâ adhuc antiqui impetûs. Et quaſi non Suecicum aſpexiſſet; & tantum tamen in Fœderatos ſuos cùm auderet, tamen adhuc in Conventu Heilbronnenſi, Coronæ Sueticæ, id eſt Sibi, nonnihil amplius libertatis, in eoſdem petiit; quaſi amplius jam hi admittere, niſi plenè libertatem Suecicam potuiſſent. Quin imò ille mediâ in Germaniâ, tanquam Dominus, diſponere de Germaniâ; & Germaniæ, aberrantis à ſuo Cæſare, projectum ſtudium in ſe Legatum, vir altiſſimæ conſiderationis, & ambire

po-

potuit & faſtidire. Etenim quum nonnemo Noſtrorum Principum, diploma donationis, quarundam terrarum, urbium, impertrâſſet, ad ſuos verſus: *Maneat*, inquit, *in perpetuam rei memoriam, in Archejo Noſtro, Germanum Principem à Sueco Nobili id petiiſſe, & Suecum Nobilem, in Germaniâ, Germano Principi id contuliſſe, quod tam illum petere quàm me donare; tam me donare quàm illum petere, æquè abſonum & abſurdum reor*. Ita nempè (fateamur verum) neglecto quaſi Catone Noſtro, indubitato Reipub. Romanæ Decore, ſubtiles, ſcilicet, Antiocheni denuò, circa Demetrium libertum cujuſdam Cnei Pompeij Magni caligavimus; & Germani Principes, qui, ut Suecis Reges aliquando dedemus, ita velut quædam Numina, eorundem, paulò antè, Nobilibus eramus, jam, versâ vice, eorum Nobiles quaſi Principes & quædam Numina, Confœderati fecimus. Sed nimirum ab Auguſto Noſtro, Noſtro Capite, toto Cæſare aberrantibus, in hæc prærupta, dura, aſpera, impingere in infinitum, abſque termino, pronum fuit;
Epiſt.16. quia, ut rectè Seneca, *ex falsâ opinione naſcentia ubi deſinant non habent, nullus enim terminus falſo eſt. Viâ eunti ali-*

aliquid extremum eſt, error immenſus eſt.

Attamen (de Proteſtantibus, ac Principibus eorum confœderatis, ne plura referam) quis unquam & exulantium Noſtrorum Principum (quos reſtituere ſecundus illis, cauſarum belli, ſemper titulus utrinque fuit) vel ex fœdere, promiſſis, juramento, præſidium illorum ex voto ſenſit ? Imperator Noſter, Cæſar, & Auguſtus, Robertum Palatinum Principem, jam hæreditarium ſuum hoſtem, aperto bello, pugnâ, prælio, victum, captum, fœderato æquè ac devoto orbe ſtupeſcente, ſuæ ultrò reſtituit libertati; Sueci autem Fridericum Palatinum Patrem, Palatinatu etiam ſub jugum miſſo, Moguntiæ tamen in exilio, & eodem quidem cubiculo, triclinio, conclavi, in quo Elector p. m. Suicardus Coronam Bohemicam, & bella in FERDINANDUM II. Cæſarem diſſuaſerat, exulem perire: & Galli Carolum Ludovicum Fratrem, exercitum Vinarienſem, Briſacum, Alſatiam, reſtitutionis ſuæ media quærentem, durum Vincennę carcerē ſubire voluerunt. Quantò etiam iidem Palatini Fratres à Suecis in ſedem belli, Meppenam emere non debuerunt? *Ne exules quidem Germaniæ Principes ab iiſdem hoſtibus quicquam præſidii habuiſſe.*

Et

Et quotuſquiſque Suecorum adhuc, Gallorum adhuc, ita de Palatinatu reſtituendo, quàm vel Alſatiâ, vel Pomeraniâ, vel Bremenſi Epiſcopatu, nullâ Sanguinis, Affinitatis, Religionis, ſed unius Regionis utrinque gratiâ, retinendis, zeloſè loquitur? Auderet aliquis Principibus iiſdem, Noſtri Cæſaris, tam benefici illius Numinis à clementiâ, multò ampliùs quàm Patrocinio illorum Noſtrorum hoſtium fortaſſis polliceri. Cùm ergo eos Principes, amicam Angliam, & his Principibus faventes Batavos, ſecundùm bellorum titulos, juramentum, fœdera, ſic juvari, reſtitui, curari ab illis Medicis videamus, ab iiſdem, obſecro, Germani Principes, Germani paſſim quid ſperemus?

Curâ & Medicinâ ſuâ illos Germaniæ mortem præparare

Sed tamen arbitros Noſtrarum litium ſe profeſſi, jam dudum Noſtros conciliare Principes ſtrenuè laborant. Inſani certè, populares, ſumus, ſi tam inſanos, imò ſanos Noſtros hoſtes exiſtimemus. Illi enim Nos unirent ut viveremus, qui ſe unientes Nos diviſerunt ut pereamus.

Fiſtula dulce canit.

Nimirum & Joab Amaſam, ſed ut occideret; & Ulyſſen Troctes, ſed ut venundaret, honorârunt: & Medæa Pe-

Peliam, ad ſua fata vergentem ſenio, ætati vegetæ reſtituere cùm prætuliſſet, interemit. Ita prorſus leones illi Nos Germanos, ut ferarum omne genus, ſub larvâ gratiæ, ſed ut devorent, invitant. Fuiſſe ſcio qui hanc tantam benevolentiam eorum, non religiosè adeò quàm ingeniosè, Judæ gratiæ comparârint, quòd execratus, cùm Chriſtum traderet, adjecerit & AVE RABBI; ignoro tamen num generosè quiſpiam, cum Chriſto quoque quærendum duxerit; AMICI AD QUID VENISTIS? Venit autem Iſcariotes ille, Populares, ut blando ſchemate, fallaci oſculo, prout novimus, Cruci traderet. Sperare certè à Noſtris hoſtibus Nos curari, uniri, conſervari, eſt contra regulas fallacis ævi: & hanc compaginem, hoc compoſitum, & pulcherrimam hanc ſtructuram Imperii Romani ut diſſolverent, tanto molimine qui laborârunt; ab iiſdem, propè jam non convulſum, ut reficiant an exſpectamus? Imò verò dividere Nos à Cæſare, à Nobis Cæſarem, & Nos ab invicem, laborant; ac, ipſo remediorum cyatho, venena varia, lenta, dulcia, ut conficiant, propinant: ac Noſtræ Carthagini non Maſſaniſſam unum, ſed obli-

quos Maſſaniſſas plures præparant, per quos Carthaginē illam Noſtram, infirmiorem annis ſingulis; & per Carthaginem tandem Noſtram univerſam Africam evertant. Sic iidem nempe Romani Medici Achajam integram curare etiam volentes, facti arbitri Græcarum Urbium, inſigni ſcilicet prolato Pharmaco, urbes ſingulas eſſe liberas, ſuique juris (ſocietate nimirum urbium diſſolutâ, verè ſingulas, ut ſubverterent) juſſerunt. Sed, de re notabili, Authores ipſos videamus. *Quærentibus Romanis* (Iuſtinus ait) *cauſas belli, tempeſtivè Fortuna querelas Spartanorum obtulit; quorum agros Achæi*, PROPTER MUTUUM ODIUM, *populabantur. Spartanis à Senatu reſponſum eſt: Legatos ſe, ad inſpiciendas res ſociorū*, ET AD INIURIAM DEMENDAM, *in Græciā miſſuros.* SED LEGATIS OCCULTA MANDATA DATA SUNT, UT CORPUS ACHAEORUM DISSOLVERENT, QUO FACILIUS AD OBSEQUIA COGERENTUR. Libertatem omnibus (ô ludibria!) ut eriperent, confirmare & augere etiam ſe velle ſingulis, ſynceri nimirum Medici, ſimulârunt. Sed nimirum maturiùs Achæi, quæ libertas hâc ratione

Lib. 34.

ne traderetur, & à Romanis quomodo curarentur, penetrarunt; ac Legatis, ceu Archiatris eorum violatis, bellum potiùs, quàm ejuſmodi medicinam illam, maluerunt. Talem Medicum, & tam candidum nimirum arbitrum, Proxenetam, Mediatorem, diſſidentium quoque partium, Pater Alexandri vicinis Regibus ſe exhibuit. *Nam cùm eum Fratres duo Thraciæ Reges, de terminis Regni ambigentes, diſceptationum ſuarum judicem eligerent, Philippus ad judicium velut ad bellum, inopinantibus Fratribus, inſtructo exercitu venit,* ET UTRUNQUE REGNO, DE QUO DISCEPTABANT, SPOLIAVIT. *Omnes ſanè Principes docens, concordiam maximum ad conſervanda Imperia, atque Principatus ſtabiliendos, adminiculum eſſe.* Tales Medicos, tales arbitros Noſtrarum litium (mihi credite, Populares) ſi non palàm, clàm certiſſimè, Noſtri hoſtes ſe Nobis præſtant; eodem modo, eâdem arte, & nullis aliis, Noſtros Principes conciliare ſtudent: ac ne illis in æternum, *Lib. 1. ſupplem. in Q. Curtium.*

——— compagibus arctis,
Claudantur belli portæ,

Sed in occaſiones ſingulas pateſcant, Alſatiam & Philippopolim, ad utram-

que Rheni ripam, uni; Germanicum ad Oceanum, & mare Balthicum, Pomeraniam, & Bremenſem ditionem, alteri, nunc ſtipulantur; ut, in eventum omnem, ceu é quâdam ſpeculâ, opportuni, ſuborientibus vel excitatis controverſiis Noſtrorum Principum, fotores paſſim in communi, fautores ſingulis in particulari, mediatores inter omnes, inde arbitri, mox partes, & noviſſimè Germanorum omnium, mutua per arma, Domini efficiantur. Ad hoc infirmos, & impotentes, & enerves ut Nos in poſterùm Germanos habeant, Germanos ipſos, ipſis Germanorum manibus, tempeſtivè jam exarmant: & Peloponneſon Noſtram, Germaniam illam Noſtram, novi iterum Antonii, Reipublicæ Romanæ Faces, quaquaversùm, in locis omnibus, cunctis angulis, in morem barbarum, igne, ferro, flammâ, vaſtant, populantur, urunt; ut eandem Pompejo Noſtro, Noſtro Cæſari, & Principibus Imperii Romani, ſi è Sacro totũ facere profanum, & è Romano Gallo-Suecicum nondum poſſunt, quàm poſſunt maximè deformem ſaltem, & impotentem, & infirmam, & obnoxiam ſuis armis in futurum, unà cum iniquæ

pacis

paciſ articulis conſignent. Quin imò (ut fatales, unâ periodo, periodos abſolvam) plenariam in curam Noſtram, & Noſtræ valetudinis, ſalutis, roboris, vigoris, jam Electoratus, non Noſtri, Noſtros, & non Germani, Germanos ambiunt; & linguam, Reges, Germanicam addiſcunt.

Expergiſcere Germania, & Germaniam Te reminiſcere; & Germani, Germano animo, ab agone velut ab ipsâ morte vitalem ſpiritum revocantes, quales ſumus, tales exteris Nos oſtendamus. Ab ipſo lapſu, & ruinâ quaſi, Nos erigamus; & Imperium ex Imperio, Germaniam è Germaniâ, Rempublicam è Republicâ, novamque velut Phœnicem avem, qualem olim è cineribus Romanæ veteris, nunc, accendente Sole Divinæ gratiæ, vel Noſtris ipſis è cineribus formemus. Ab hoc Catholicum nihil vel Acatholicum, Romanum aut Lutheranum, technis tantùm Noſtrorum hoſtium opportuna nomina, Nos amoveat; atque membra, prout ſumus, unius corporis; cives unius Reipublicæ, Status unius Imperii, & Germanos Fratres amore mutuo, Allemannos & Germanos, viros totos, viros omnes, fortitudine, virtute Noſtrâ,

Manuductio ad verã medicinam.

ſtrâ, Nos exhibeamus. Multa nempe Parentibus & Avis, plura tamen communi Patriæ; ſed bono publico & libertati omnia; vitam, ſanguinem, cruorem, ſpiritum, fidem mutuam, & concordiam, debemus. Hæc tueri, defendere, conſervare, tenemur ſinguli; obligamur omnes: Tuebimur autem, & defendemus, & conſervabimus, ſi omnino aliud, quàm quod agimus, agamus. *Vt enim perditio omnis ex Te Iſraël, ita ſalus etiam ex Te Iſraël quærenda*: Ire verò, imò claudicare, in utramque partem; vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram; vel hinc Lutetiam, vel inde Holmiam; dare provincias, emere libertatem, id me herculè non eſt Germanum. Neque enim à dividendo Imperio, ſed uniendo, navigaturis ad portum Nobis, incipiendum eſt; nec Puppi Noſtræ, rimas jam agenti, adimendi aſſeres, ſed addendi. Non projiciendum, ſed reficiendũ, Populares; & in Argon Noſtram, quâ, Colchida navigantes olim, vellus aureum, fortiſſimi Heroës, monſtroſis tauris ac draconibus triumphatis, comparavimus, non admittendi hoſtes; ſed arcendi. Non emenda in Nos arma, ſed ſubmovenda: ememus autem (quis enim in Nos in poſterum non præſumat?

mat?) ſi bella præmio, injurias talentis, calamitates, & latrocinia ferè publica (quòd exempli peſſimi, vel admiſſum ſemel, in æternum pudeat) manûs oſculo compenſemus. Eò etenim quò majora contigerint iiſdem, majora cupient deinceps; & facilitas illa Noſtra quò facilior in eos fuerit, non ſaturabit hoſtes, ſed irritabit. Ambitionis genium ignoramus? *Vidiſti aliquando*, apud Senecam, *miſſa à Domino, aperto ore, fruſta captantem? quicquid excepit, protinus integrum devorat; & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem eveniet Nobis. Quicquid* ambitioni, dementia Noſtra *& Fortuna projecerit, id ſine ullâ voluptate dimittet, futura mox ad rapinam alterius erecta & attenta.* Ita herculè, Populares; atque adeò, quæ ſunt ad manum, parata Pharmaca, ſi non dedignamur, jam Nobis auream, & illam unicā, tam variè affecto corpori, Germaniæ, Imperio Romano, ac morbis Noſtris omnibus Panacæam formo. Epiſt. 72.

Minuta quadam, ut ait Phædon, animalia, cùm mordent non ſentiuntur: adeò tenuis illis & fallens in periculum vis eſt: tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullū vulnus apparet. Idem Nobis *in converſatione* Noſtrorum Panacæa morbis omnibus.

rum hoſtium, ſi pacem æquam iniquis legibus averſentur porrò, *eveniet*, Populares. *Non deprehendemus quemadmodum aut quando Nobis obſint; obfuiſſe deprehendemus.* Atque adeò, & ante omnia (ſed tamen, repeto, ſi oblatas dexteras, & concordiæ deſideratæ leges, illi porrò ſuperbè reſpuant) ab illo *Oſorum* Noſtrorum *Ponte*, periculoſiſſimo ad lapſum Nobis; & *Monaſterio*, nonnullam Noſtram per dementiam, nonnullam hoſtium per licentiam, diſſoluto, ſana tandem, & defæcata ſemel ad comitia, in *Ratem Bonam*, univerſi concedamus. Huc Archiduces Alſatia, Electorem Saxonem ſua Miſnia, Pomerania Brandenburgicum, Wiſmaria Megapolitanos, Prolem Regiam Bremenſis ditio, tot Epiſcopatus Franciſcum Guilielmum Principem, & Saxoniæ inferioris Principes Nienburgum, omnes autem libertas citet. Hæ enim, illæ ſunt Carinæ Noſtræ, in quibus, bella poſt tot civilia, novi Triumviri oportet ut de Republicâ Romanâ, ſed cum Auguſto Noſtro, Noſtro Cæſare, Imperatore Noſtro conſultemus. *Ille eſt enim vinculũ per quod Reſpub. cohæret, ille Spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa*

Seneca Epiſt. 94.

Sen. lib. 1. de Clem.

ipſa per ſe futura niſi onus & præda, ſi Mens illa Imperii ſubtrahatur. Demus, quæ ſunt Cæſaris, hîc Noſtro Cæſari, Populares; ut quem colere, quem venerari, & amare etiam, privatas ultra neceſſitudines, oportet: *Nam ſi ſanis hominibus publica privatis potiora ſint, ſequitur ut is quoque carior ſit in quem ſe Reſpublica convertit.* Craſſus quondam & Pompejus, facti Conſules, injurias privatas Reipublicæ donarunt; priorque Craſſus, cunctante Cneo, *quid attinet*, erupit, *me priorem Pompejo Magno dexteram porrexiſſe*: ita nunc Romani Principes, ſi ſit aliquid quod hinc & inde mentem lancinet, id omne, totum, plené, integrè, bono publico donemus; ac Pompejo Noſtro, Auguſto Noſtro, Magno Noſtro, non cunctanti ſed invitanti, devotas dexteras jungentes, Ipſius dexteræ, auguſtæ, ſacræ, germanum oſculum, mutuum in præſidium, ſalutem mutuam, figamus. *Olim enim ita ſe induit Reipub. Cæſar, ut diduci alterum non poſſit ſine utriuſque pernicie. Nam ut illi viribus opus eſt, ita & huic capite.* Ad hanc aram ergo, in his Carinis, in illâ Rate, Illi Cæſari, Auguſto Noſtro, relictis idolis illis aliarum Gentium, ſi mutuam per iram invicem,

Idem ibidem.

Idem paulò poſt.

vicem & iracundiam Noſtris hoſtibus opportuni fuimus, juxta remedium ejuſdem Philoſophi Romani infirmitatem Noſtram qui aperuit, iram, odium, iracundiam, immolemus.

Sene. lib. 1. de Ira. *Perierat Imperium*, (inquit ille, quamvis ſenſu nonnîl diverſo) *Quod tunc in extremo ſtabat, ſi tantum Fabius auſus eſſet quantum ira ſuadebat: Habuit in conſilio fortunam publicam,* ET AESTIMATIS VIRIBUS, EX QUIBUS IAM PERIRE NIHIL SINE UNIVERSO POTERAT, DOLOREM ULTIONEMQUE SEPOSUIT IN UNAM UTILITATEM; *&, occaſioni intentus, iram antè vicit quàm Annibalem.* Idem faciamus, Populares; dolorem ultionemqûe, iram Noſtram & iracundiam, cum illo Fabio, æſtimatis quoque Noſtris viribus, ex quibus jam perire nihil abſque univerſo poteſt, unam in utilitatē ſeponamus & componamus; & ſana porrò, non profana; non futilia, ſed utilia ſectantes, Nobis clypeum adverſus omnes, adverſus omnia, ex amore mutuo, mutuâ è concordiâ formemus. Sciluri Scythæ, in hoc non Scithæ, ſingula ſeorſim jacula, frangi faciles, ultrà ſinguli non ſimus; ſed potentem in faſci-

faſciculum, indiſſolubilem in faſciculum concedentes, non ſolùm frangi, vel inclinari, omnino neſcios, ſed & more Noſtro, Nos terribiles terrarum Orbi faciamus. Illuſtri hieroglyphico, pileo libertatis, adjecto lemmate *pro libertate*, Mercurii Caduceum exornemus; &, hâc pro Iô Noſtrâ, communi gloriâ Nationis, conſervandâ, non duobus ſed centum oculis armati, Argos, ſinguli, Nos fideliſſimos Junoni Noſtræ, Noſtræ Aquilæ, imò Cæſari, exhibeamus. Huic etiam *Neutralitatem*, ut Vocabulum merè barbarum, quod nec Plato in Timæo, nec Ariſtoteles in Politicis, nec in Univerſitate Marcus Tullius agnovit; nec integritas ſermonis Latii, niſi, ſeneſcente cum Imperio, jam ſeneſcens, ægrè admodum, & niſi unà cum ipſis Barbaris, fatalem in periodum admiſit, ceu alterum dementiæ, & impotentiæ, & Germaniæ caligantis piamentum, jugulemus. Simus omnes Cæſaris, ſit Cæſar omnium; &, Hujus toti cùm Nos fuerimus, Hunc totum Noſtrum cùm fecerimus, jam, procul odio irâque mutuâ, furorem omnem, à Nobis, in omnes Noſtros, ſub Noſtro Fabio, Annibales vertamus. Sub illo

Numine, & illius Nomine, harmoniâ dehinc concordi, in Noſtris omnibus Imperii Romani Urbibus, apud omnes noſtros Imperii Romani Principes, ſonent tympana, clangant tubæ; & quadrimeſtri ſpatio, decem propè legionum Romanarum, id eſt, ſexaginta millium, in fatigatam Galliã & exhauſtam, fatigatos hoſtes & exhauſtos, exercitus haud dubiè prorumpet. Deinde, prævio favore Cæſaris, à Caſtris hoſtium, ab his Pandoris, ut ut ſuperbis, Divi ſinguli ſuam gratiam, omnes Principes ſuos ſubditos Germanos revocent, ſtatim illæ Pandoræ nomen, nomen exercitus amittent; hoſteſque pauculi, Sueci pauculi, non bis mille, jam ſuperbiâ faſtiditâ procul, repentè nudi, mediâ in Germaniâ, ceu fati gnaræ ad aram victimæ, trepidabunt. Momento illo (mihi credite, Populares) momento illo ſubmittent animos, quo Noſtros erigi ita, herculè, generosè viderint; & Nobiſcum porrò detrectabunt bella, ut primùm viderint Nos ſic audere. Audebunt quoque, ab auſu Noſtro, Nobiſcum alii, qui irritati Nobiſcum pariter, ob hoc ipſum tantum quia non audemus (quis enim, obſecro, pro Nobis auſit, ſi vel ipſi, pro Nobis ipſis, non auſi

auſi ſimus!) bella premunt. Quin imò in oſores Pacis, Pacis Filiis, paciſque Proli favebit etiam pacis Princeps, Paterque Pacis; ut cujus, jugem nempe per experientiam, decreto ſcimus, felicitatem inſolentium, inſolentiam felicium, ad extremum eſſe infelicisſimam ſolere; &, CRESCENTE SUPERBIA, DECRESCERE FORTUNAM. Diſcent hoſtes Fortunam illam reverentiùs habere? & nihil unquam haberi firmi, in incerta bella, in incertos impetus & ſucceſſus, jugiter propenſos. Diſcent etiam, procul dubio, damno ſuo, adverſus pericula, & fortunam ipſam, unam tantùm ſecuritatem eſſe, & hanc nimium, & iſta nimium non experiri; & hanc nimium non provocare, & iſta ſæpius non irritare. Hæc illorum ab arrogantiâ, & à Noſtra fortitudine, virtute, concordiâ, Populares, Germani fratres, Deo auſpice exſpectemus ſi hæc agamus; & ſic agamus, ut hæc è Noſtris virtutibus, & ſuperbiâ Noſtrorũ hoſtium, exſpectemus: ut eoſdem hoſtes qui nunc miſereri poſſe Germaniæ videntur, ſalvâ Noſtrâ libertate, gloriâ, dignitate, & Imperii quoque Noſtri Majeſtate, versâ vice, miſericordiam rogantes, moribus antiquis, Germani habea-

habeamus: ut monſtro uno monſtroſo bello, per pacem æquam, in Occidente debellato, per bellum æquum monſtroſam pacem, in Oriente tandem, ceu Cacum à Geryone, novi Hercules, illique nati non uni angulo, aggrediamur; ac Imperialis aquilæ caput geminum, Olivâ alterum, Lauro alterum, feliciſſimi redimamus.

D I X I.

PA-

PANEGYRICUS
Sereniſſimo Principi
LEOPOLDO GUILIELMO,
ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c.

Poſt Expeditionem Belgicam anni M. DC. XLVII. *dictus.*

QVALEM Principem in Te Reſpublica, quantam animam Belgarum corpus per Te in ſe receperit, licet unus, LEOPOLDE, ſcias; tamen etiam ab æſtatis unius motu, & extremis tuarum dotum lineamentis excitatus Orbis, ſi non capit, jam obſtupeſcit. Talem enim in hoc Belgico retinendo Cælo, ne ruinæ proximum jam jam labaſceret, Tuis humeris Te Atlantem: talem etiam in debellandis monſtris, extremæ quaſi terrarum ſpithamæ jam imminentibus, Tuâ clavâ Te Belgis Herculem demonſtraſti, ut per miracula cujuſdam velut Divinæ manûs, in Te magnum debeat Æſcu-

lapium

lapium admirari. Sed ne diu velle videar verborum phaleris, violatâ propemodùm integritate Tuorum operum, eorundem magnitudinem ſtupêre; ſic ut morbi Medicum, artem pericula commendant, mox Te per artem, & artem ipſam per diſcrimina videamus.

Neceſſitates Belgii ante Leopoldi adventum.

Jam hunc tam nobilem Microcoſmum, ceu compendium terrarum Orbis, contagione annorum plurium virulentus Mavors ſic infecerat, extremis omnibus ut enecatis ipſa viſcera lancinando, venæ integræ membrorum flumina, in exitium ipſius corporis aut moverentur, vel in putredinem ſtagnarent. Jam reſectis articulis, mutilatis membris, & acephala prope terra defecerat in hunc truncum, totum ut compoſitum in caſſo pectore, ſoliſque coxis, paucis urbibus, & his, arteriis nerviſque fractis, ægrè cohærentibus, conſtaret. Jam, inutili ſæpe miſſo ſanguine, affectam animam vix trahens Belgium, deſperationis eò venerat, ut tantùm non extremum ſpiritum ſuis hoſtibus, profanis dominis; & idolis velut aliarum gentium immolaret. Et quid aliud Romanis olim ad amnem Trebiam, Thraſymenum Lacum & ad Cannas cæſis, amiſ-

ſâ Capuâ, Brutiis & Locris, niſi Romam in his Provinciis, & has Provincias in deploratâ Româ conſiderare Mundus univerſus poterat? ut de quibus etiam deſerendis, & aliò transferendis ſedibus novi L. Cæc. Metelli deliberare videbantur, niſi Scipio generoſus aliquis, ſtricto, & deſtinato victoriæ, ferro retineret. Imò verò, amiſsâ Siciliâ, triremibus, & Mari; expugnatâ Clypeâ, Uticâ, Tuneto; Haſdrubale, Boſtoaro, & Hamilcare cum exercitibus ſuperatis; & Attilio Regulo Romano Pœnorum portis jam imminente, Carthaginem in deplorato Belgio, & omnino deploratum Belgium in Carthagine videbat, niſi rebus perditis aliunde Xantippus unus, vir militiæ peritiſſimus, ad profligandum Regulum, reſtituendam Africam, adproperaret.

Ita, me herculè, PRINCEPS SERENISSIME; in ſe Carthaginem, ſe in Carthagine Belgium aſpiciebat; quod & Te Xantippum ſuum, virum militiæ peritiſſimum, ſed non ut illa trans maria fluctuſque, in Lacædemone, Peloponneſo ac pacatâ quâdam Græciâ, ſed in Germaniâ, totâ Martis ignibus quos reſtingueres flagrante, hoc Germanico ab Oceano proſpectabat. *Leopoldus ad Belgiũ invitatur.*

ctabat. A majori etiam terrarum ſpatio, ab extremo Occidente, Rege maximo, votis, litteris, legationibus ambiebaris, reficiendos ut ad hoſce Pœnos Xantippus alter deſcendere dignareris; & erepto ab annis aliquot FERDINANDO Principi, Fratri unico magni Regis, Tu LEOPOLDE, Frater unicus magni Cæſaris, in vicariâ poteſtate ſuccederes.

Difficultas in impetrando Archiducе.

Sed nimirum hiſce dari non poteras, niſi aliis eriperetis; & publicis ibi periculis occurrendo occupatum, etiã, mutatâ nonnihil rerum facie, privata pericula retrahebant. Intumuerat Iſter hoſtilibus undis, quem & aquis turbidis dubius Oenus, ad Tuum Paſſavium, influebat; non ſine metu ne toto altior alveo in Tuas Provincias exundaret, niſi præſens prudentiæ Tuæ aggeribus coërceres. Adeoque, cùm pro Te accipiendo vel retinendo PHILIPPUS cum FERDINANDO, Rex cum Cæſare, Hiſpania cum Germaniâ, Belgium cum Imperio, publicè decertarent; privatim etiam ne deeſſes ibi, & hìc prodeſſes, in Te affectus cum affectu, amor cum amore, & pericula cum periculis pugnavêre. Tandem tamen, cùm non tam Belgium in Germaniâ, quàm Germaniam in peri-

cli-

clitante Belgio debellari conſiderares, uni tribuere per præſentiam Te conſenſiſti, ut Te ſingulis per fortitudinem impertires.

Sed ne Tu Æmylius in hanc Tuæ deſtinatam gloriæ Macedoniam penetrares, novi Perſes, regionum ſitum de ſummo velut ſpeculati Æmo, ſic vias omnes, omnes aditus ſuis legionibus, cohortibus & turmis, armis ferroque vallaverant, ut Tibi, niſi Cælo alis Icari, arte Dædali venires, reliquiſſe tranſitum non viderentur. Aſt Tuæ ſolertiæ, PRUDENTISSIME LEOPOLDE, quid impervium? Uno Archangelo, Azariâ illo, verè magni Ananiæ filio, ſuffragante, triumphatâ induſtriâ Tuorum hoſtium, rapaces illos omnes, Tuo exitio imminentes callionymos & hyænas, corde, felle, jecore, quidni & cerebro exarmaſti; & abſque periculo, Tuæ ſponſæ, illius ditis Raguelis filiæ, vel à pluribus quàm ſeptem procis, Aſmodæo deſtinatis, invitis Superis ambitæ, Tu Deo auſpice, nec regnandi, ſed ſervandi cupidine Te conjunxiſti. Mox omnes furias, metum omnem, ut primùm ſacræ continentiæ Tuæ thalamum luſtraſti, non cujuſdam jecoris, ſed pietatis fumo, infenſam in viciniâ,

Cum magno periculo in Belgium deſcendit.

tam-

tamquam in deſertum Africæ relegaſti; &, ut Tuorum tandem bellorum miracula alibi conſummares, à Sacramentorum miraculis Bruxellis incepiſti. Et profectò ut Deus Tecum, & cum Deo Tu tranſegeras, & in invictos armorum ſocios, ipſos Superos evocâras, mox Te Deus, & Tu Te Belgis penitiùs revelaſti: & luce meridianâ clariùs oſtendiſti, numquam copias licet pauculas, Reipublicæ; ſed copiis, licet pauculis, LEOPOLDUM defuiſſe.

Belgas erigit ad victorias.

Olim me herculè Romani, poſt devictam licet jam Hiſpaniam, Italiam prope integram receptam, Scipionem tamen in ipſam Africam apparatu nonniſi biennali; in Magnum autem Antiochum Monarcham, ut è Magno minorem facerent, unoque anno, unoque prælio, uſque Taurum montem, totâ Aſiâ ſpoliarent, Scipiones duos, Aſiaticum & Africanum, nonniſi triennali; Magnum verò Pompejum etiam in piratas, reſpectu maximi tum Imperii Romani, pauculos; & bellum illud, quod ſeptimanis ſex conficerent; quatuor & viginti Senatoriis Legatis; ſex talentorum, centum & viginti peditum, quatuor equitum millibus, ducentis ſeptuaginta navi-

navibus, & ferè integro Imperio Romano, tribus menſibus armavêre. Tu mutilatum Belgium, punctum terræ reſpectu Galliæ, ſeptimanis pauculis, diebus pauculis, in Regem maximum, Regnum maximum, nationem maximam armaſti; & quaſi momento temporis, fractos Belgas à deſperatione in fiduciam, à metu in audaciam, à miſeriâ in felicitatem, & quaſi mediis è ruinis in victorias erexiſti.

Mira generoſitas in apparatu bellico.

Romani etiam, ab Annibale Pœno fracti, primo Cunctatore quodam Fabio qui retardaret; Marcello inde, qui vinci poſſe Annibalem demonſtraret; & Scipione tandem, qui ex Italiâ protractum Carthaginis in conſpectu profligaret, tribus ſummis viris, diverſis tribus magnîſque Ducibus indiguêre. Tu Te unum afflictis Belgis, qualem voluerant, ſtatim exhibuiſti; prorſus ut appareret, Tibi uni & magnos Fabios, & Marcellos, & Scipiones etiam ineſſe. Ab extremo uno ad extremum aliud ſtatim proceſſiſti; ac unus idemque menſis Te miro ordine & venientem ſtupuit, & vincentem. In Te uno enim, generoſitate unâ, unâ ſolertiâ, dioque genio, cùm belli nervus, annona, commeatus, miles, deeſſe viderentur, illicò

cio & belli nervum, & annonam, & commeatum, & militem inveniſti.

Gloriatus equidem, imminente Cæſare, quondam Pompejus fuerat, ſi vel pede ſemel Italiam pulſaret, fore ſtatim ut exercitus proſilirent; ſed admonitus à Favonio, veniente Cæſare, confuſione jactantiam caſtigari ſenſit: Tu modeſto aliàs modeſtior, & moderato moderatior Pompejo, nîl jactaſti; & tamen ille quod jactitaverat ipſo opere compleviſti. Etenim, cùm Te terra & Tu terram, Te Belgæ & Tu Belgas, Te Provinciæ, Tu Provincias nondum nôſſe, per anguſtias tam parvi temporis, videreris; Tu tamen & prudentiſſimè ordinatis rebus, & ſolertiſſimè proviſis omnibus, multò citiùs & expeditiùs Dux exercitum, quàm legionem unam, cohortes pauculas Tribunus aliquis, eduxiſti. Et ſtatim, ſub Te Duce, Xantippo tali, Romanus quaſi Pœnuſq; miles, Gallus atque Belga, hoſtis & amicus, mutatam integram belli faciem ſenſêre; & qui, antequam Tu adeſſes, annis ſingulis, omni vere, ab * Attilio ſuo Regulo præveniri, laceſſiri, triumphari ſueverant; jam Te præſente Attilium ſuum Regulum prævenire, laceſſere, triumphare iterum cœperunt. Ipſe etiam

* Gaſſionem in Attilio Regulo intellige.

iam Attilius ille Regulus, tot ſucceſſibus licet & victoriis in audaciam nutritus, non ultra Punicis & Carthaginis ipſius portis, ceu ſe ipſo vilior inſultare; ſed procul agere, & quæ meditullio terrarum extremâ hyeme minatus fuerat, primo vere in limitibus exſpectare.

In Flandriam movet.

Ergo hoſtem, non auſum aciem, ſuis moribus aggreſſus, cùm Provincias à Provinciis, terras à terris, urbes ab urbibus, Marte an arte hoſtium ſeparatas intuereris Tu Provincias Provinciis, terras terris, urbes urbibus ut reſtitueres, in peſſimè diviſam Flandriam moviſti. Et ſic profectò Aprili menſe, acceſſus pandere, reſerare terras, aperire aditus incepiſti, ut nomen illud, ſi decreto veterū ab aperto tempore non habuiſſet, apud Belgas facilè, patefactis ab acceſſibus, reſeratis terris, & aditibus apertis, invenire potuiſſet.

Armenteriā obſidet.

Etenim Armenteriam, munitam urbem, & magnis urbibus Inſulis & Ipris intermediam, ac ab hoſtibus utriuſq; in perniciem duorum annorum ſpatio, vallis, foſſis, contis, ſudibus, tormentis, machinis, & tum tribus etjam, accitis partim vel ab ipſis Alpibus, probati roboris veteranorum millibus armatam, ut utramque in uno oppi-

oppido liberares, redimeres, ſalvares, exercitu, caſtellis & loricâ velut adamantinâ cinxiſti. Mox foſſæ vineis, muri machinis, turres arietibus petitæ. Et cùm Tibi miles, Tu continuò Tuo more militibus adeſſes, eouſque vi omni Martiâ, brevi tempore profeciſti, ut hi obſeſſi, licet odio in Te Archiducem Campanis olim in Flaccum Fulvium non mitiores, tamen ſignum deditionis Tibi prolaturi mox viderentur, ſi ſubſidii ſuo foris ab Annibale non accepiſſent.

Et eamdem, fruſtrà Gallis accedentibus, expugnat.

Et ille quoque, paulò antè detrectans prælium, ceu Tu illi jam facilior, foſsâ, vallo, munitionibus, & loricâ tutus, quàm in campo futurus eſſes, magno impetu, furore, minis, legiones integras in viciniam promovit: ſed, illo nonnullis copiis ad modicum diſtnnto, Tu ad veſperam reparari pontem, multò majori impetu, clamore, ſtrepitu juſſiſti; & hunc Saturnum, quem toto Cælo partæ gloriæ, ipſoque ſpiritu, hoc ipſo adhuc anno feliciſſimè ſpoliares, Tibi Iovi abominando gutture tùm imminentem, per hos Curetas & Corybantes, per hoſce Cabiros & Idæos, jucundo dolo, fraude bellicâ, ſanâ mente in amentiam egiſti. Ratus enim, firmatis navi-

navibus, aſſeribus, & ponte, Te in ſe, Tuumque ſuum in exercitum movere, ipſe protinus adultâ nocte, abſque ſtrepitu ad ſtationes priſtinas ſe recepit; & hoc diſceſſu poſt tergum Tibi conclamatam Armenteriam reliquit. Quippe uno eodemque illo, prout foris, ſic intus etiam hoſtiles animos ſtrategemate fregiſti; ac præſidiarios illos omnes, quos in unâ urbe ceu ergaſtulo, in uno oppido ceu uno carcere ſeptimanis tribus jam habueras, ſpe ſuâ falſos, armis poſitis, traditis vexillis, univerſos ſub jugum miſſos, ad urbes varias, multa ergaſtula, plures carceres tranſtuliſti.

Cominiũ & Lendium occupat.

Turbato interim, & ſollicito, & anxio Tuo hoſte, non jam quid ageret ſed expectaret, Tu prudentiſſimè deliberaſti, quid porrò ageres, non expectares. Quid autem melius quàm quod egiſti, tandem agere, LEOPOLDE, potuiſti? Ne Cortracum in Armenteriâ videres ab utroque latere, Cominium atque Lendium, parvo temporis intervallo eodem exercitu obſediſti, ut, cùm Galli anteà præſidia Belgica ut ſepararent ſua junxiſſent, nunc præſidia Belgica Tu conjungeres, ut Gallica ſeparares. Et utrumque quidem, unum auſpiciis,

ductu alterum expugnaſti ; hoc ſolo diſcrimine, quod Cominium, quia auſpiciis, toto octiduo, atque Lendium, quia ductu, non uno biduo Tua molimina retardârit.

Quātum hiſce expugnationibus profecerit.

Et jam Liſam, flumen nobile, quod inſeſſis ad ripam urbibus, oppidis, caſtellis, devotum Galliæ obſequio biennali fluxerat, propè integrum libertati priſtinæ, libertatem verò unitæ Flandriç, & unitam Flandriam Belgarum corpori reſtitueras. Jam Oceanum à Neoporto, rectâ lineâ per Ipras, Armenteriam, dites Inſulas ac Duácenos, antiquis Nerviis; & Oceano viciſſim antiquos Nervios, commerciorum mutuo beneficio copulâras. Jam Reipublicæ, Belgarum populo, expugnatis in civitatibus, ſua membra; aſſertis fluviis, ſuas venas; vendicatis aquis, ſuum ſanguinem, miſsâ ſanie, ferro vindice repoſueras: lætique Belgæ, membris, venis, puroque ſanguine vegetiores, ſibique redditi, devotas hoſtias cum epiniciis Tuarum laudum Fortunæ reduci litabant. Addebant etiam ſacris veterum initiati, antiquitatum Myſtæ, Deorum Vates, jure merito ſi cuiquam alteri, tali certè fatales Gallos Æſculapio deberi.

Sed

Sed tam ſubitam mutationem re- rum ſtupente magis quàm capiente Belgio, Tu magnæ mentis ſublimi judicio vilius æſtimans, non ceſſare, non quieſcere, non feriari. Ut enim eſt generoſæ indolis ulteriora proſpera ſperare ſemper, ſic in eventus ab even- tibus, in ſucceſſus à ſucceſſibus, & à victoriis in victorias incitatus, non jam ampliùs quid feciſſes, ſed porrò facere quid intendiſſes, conſiderabas. *Landracum obſidet.*

Id autem facere jam conceperas, id intenderas, quod facere alii non po- tuiſſent. Et nihil equidem Alexandrum Magnum, expugnandam ad Aornum, animavit magis, quàm quòd eâ arma- tus Hercules expugnare non potuiſ- ſet. Aornum in Landraco, in QUINTO CAROLO bellicoſum Herculem videbas; adeoque Alexandri æmulum quò Te oſtenderes, triumphato priùs rurſus aciem non auſo hoſte, victo- rem exercitum in Hannoniam duxi- ſti; & munitiſſimo illo oppido, toto jam decennio, ceu alterâ feré patriâ à Tuis hoſtibus inſeſſo, mox ob- ſeſſo, turbatâ Luparâ, terrorem Galliæ (quòd integro quinquennio non factum fuerat) ab ipſis fini- bus illiſiſti. Ita nempe obomina- biles conceptus odioſæ manûs,

quos * vulgaverat, petulanter magis quàm eleganter, profanè quàm urbanè, à propinquo libuit ſtylo ferreo non ſcholaſtico refutare; & periodos ſcurriles illas, largâ purpurâ non atramento, hoſtili ſanguine non ſpongiâ delere. Senſit enim quam irritaverat confuſa Galliâ virtutem; & uno Duce, Gaſſione uno, uno exercitu, totum Belgium & Te Archiducem debellare nimis properè cùm crepuiſſet, nunc Pœnorum inſtar, ceu à Te Scipione profligato jam Aſdrubale ac Syphace, novos exercitus, ſuos Annibales, vel procul ex Italia, ad tuendam patriam, ſuam Africam accire.

* Notatur ſcurrile quodda Scriptum, ad Belgas de perſonâ Principis miſſum.

In Belgio Gallos & Germaniâ ejicit.

Et me herculè actionem in diſtans dari, hucuſque Philoſophi diſputârint. Tu quæſtionem, multò citiùs ac feliciùs Chryſippo omni, nec ſubtiliter ſed viriliter, non ratione ſed mucrone, hâc Martis in palæſtrâ, Bellonæ pulvere decidiſti: & hîc in Belgio, ad Armenteriam, Cominium, Landracum, Gallos ex Germaniâ, Thurenium ex Imperio, &, quod mirum, invitâ Galliâ & invitante, dolente Luparâ ac jubente, fortiſſimè ejeciſti. Sed hi, cis Rhenum jam agentes, quòd Te accedere (an ex formidine?) detrectarent, repentè in diſſenſſionem

mu-

mutuam abiêre, ac exercitus in Ducem, Dux in exercitum; Germani in Gallos, Galli in Germanos; Vinarienſes in Thurenios, & hi viciſſim in illos inſurgentes, malum publicum, imminere Belgio quod videbatur, in medio reliquére. Planè quaſi Te inter & fortunam ita conveniſſet, ut Te Galliam & Landracum oppugnante, hi debellandi interim diſcordiæ traderentur.

Geſſionē, caſtra magna aëris intemperie validè oppugnantem, generosè rejicit.

Tu intereà fortunæ, & Tuæ gratiâ virtutis uſus, Landracum premere, formare aggeres, humum infra diſponere tormenta, & cuniculos moliri; ac eâdem induſtriâ, ingenio, virtute, ut ad Rhenum alios ne deſcenderent, terrere; ſic ad Liſam alios, metu damni ut aſcenderent, irritare. Et reverà Dux hoſtilis, licet ad Armenteriam, paulò antè, ſpei irritus, tamen ultra audaciam temeritati proximus, iterùm adeſſe; ac fiduciam, quâ exciderat, vel excidere debuiſſe ſaltem prudentioribus jure merito tum videbatur, imitari. Potuiſſe etenim in anguſtias, quas minabatur, ipſe redigi, Tu quoque, PRINCEPS PRUDENTISSIME, cenſebas, niſi pariter contra regulas eruditi Martis, doctæque Palladis quà ferrum gerit

 fuiſſe

fuiſſe ſcîſſes, expugnandis urbibus occupatum, vallo, foſsâ, loricâ tutum, hoſtem quærere, non expectare. Harum legum hoſtis callidus haud ignarus, acceſſit propiùs, ſtruxit aggeres, diſpoſuit tormenta: & tum repentè mirâ rerum viciſſitudine, tempeſtas ingens cum denſis imbribus coorta, uliginoſa aliàs ſtatis aliquot dierum pluviis, Tua caſtra tam fœdâ facie confudit, ut tum cum hoſte, ceu ſigno dato, acceptâ teſſerâ, momento temporis, cælum, terra, procellæ, venti, in exitium exercitûs unius conſpiraſſe viderentur. Cùm turbo vehemens & citus ora, aures, oculos feriret; infeſta pluvia corpus integrum tantùm aquâ non totum mergeret; arma, ſclopeta, gladii corrumperentur; coxis tenus, uligine profundâ, cœno, luto merſis pedibus, crebro fallente greſſu corpora fluctuarent; urbe & caſtris hoſtium, immanibus è baſiliſcis, hinc inde, cum igne, fumo, miſſa jacula volitarent; ordinare tamen, jubere tamen, providere tamen; tamen progredi, ſe defendere, & ab utroque latere propulſare hoſtem caſtris oportebat. Cannæ iterum Romanæ erant, INVICTISSIME LEOPOLDE, ſi Varrone Pauloque fortior, aut fortunatiòr, aut

cælo

cælo certè Deoque gratior non fuiſſes. Ergo ſolius Numinis, & Tuæ gratiâ virtutis fiſus, rejectis precibus ſupplicantis Aulæ, ut ipſe præſens doctis oculis & inconnivis utrimque fulmina Tuo periculo ne oſtenderent, & ut offenderent uſurpares, media inter jacula vitâ citiùs quàm loco cedere concepiſti; & Leonidæ potiùs ad Thermopylas, aut Epaminondæ ad Mantineam, vel caſu proprio Rempublicam erigentis, gloriam æmulari, quàm ne dicam caſtris, ſed veſtigio moveri. Nimirum vicinæ Galliæ, & ipſis oculis Tuorum hoſtium, exemplo forti ut ingereres, valde illos Leopoldum ignorare, Tuam eſſe qui fortitudinem infra diſcrimina, virtutem Herculis infra pericula ſentirent. Suetâ itaque animi Tui magnitudine, juſtos metus, juſta pericula non averſante, hinc inde licet ſævirent venti, micarent fulmina, tonarent machinæ, & fragore jugi creparent omnia; Tu tamen, medios inter ignes, aquas, ventos, fragores, tela, inclinata ut retineres; labentia ut fulcires, collapſa ut reſtitueres, & intentus ſingulis omnia conſervares, cōſtantiſſimè perſeveraſti: atque tandem, Alcide fortior, non jam unum, ſed velut geminum utrimque

Cacum, hinc inde flammas non uno gutture vomentem, fugato altero, altero ſuppreſſo, utriuſque victor, unum ignibus, calore alterum exarmaſti. Et quantâ hæc cum majori laude, ſi hiſce Tuis exempla veterum conferamus? Olim enim & Antigonus Rex Macedonum, in vicinâ Græciâ; & Alexander Magnus, procul diſſitis in Arachoſiis, cum ventis etiam, cœno, pluviâ; ſed procul hoſte, nec ſine murmure ſuorum militum, pugnavêre: Romani autem in Apuliâ, feriqúe Cimbri ad Eriadnum, in caſu ſimili, ſimul hoſtem nacti, ſtrage maximâ, fœdiſque cladibus ſuccubuêre. Tu verò ſimul aëris, cæli, terræ; & hinc inde ſimul duorum hoſtium in intemperie, nec maledicta nec cladem militum ſenſiſti: ſed Tecum miles, Tu cum milite lætus, alacer, de procellis, terrâ, nubibus, & quaſi binis ſimul hoſtibus uno eodemque tempore triumphaſti.

Baſſaâ expugnatâ, Lendinũ obſidenie̅ Gaſſionem telo militis occidit.

Sed quid dicam, FORTISSIME LEOPOLDE? Vel invitum etiam, ceu Potidæâ captâ, Alexandro nato, equo ad Olympia victore, & Illyriis ingenti prælio profligatis, Macedonis Philippi voto frui Superi Te voluêre; id eſt, inter tam multa proſpera, nonnullâ etiam viciſſitudine viciſſitudinum

num admoneri. Dum tam fortiter rejectis hoſtibus, in Landraco jam Hannoniam, in unâ urbe hanc Provinciam recuperares; &, obſeſſæ quò faciliùs ſuccurreres Baſſææ, Gallico Præfecto mitior, citas in ſubſidium legiones raperes, in ipſo motu, & Tuâ, & Tuorum hoſtium opinione citiùs, Dixmudam priùs, Baſſæam inde (nullâ quidem Tuâ culpâ, non tamen abſque dolore Tuo) Gallis traditas accepiſti. Et hoc unum, PRINCEPS SERENISSIME, hoc unum obſtitit, quò minùs profligatâ ſervitute, libertatem reliquis Belgarum redderes, quam univerſis ſub jugo Gallico fortiſſimè minabaris. Surrexit tamen generoſus animus mox in vindictam; & Gaſſionem illum ceu Pompejum, à Landraco ceu Brundiſio, Tuis manibus elapſum, nunc Baſſææ ceu Dyrrachio inhærentem, Tu novus Julius, oppugnatione primò in ipſis caſtris, inde Lendio cùm fugaſſes, obſidione etiam aggeeſſus, cùm nîl proficeres, expugnationi Lendianæ iterum illigaſti; & hunc virum tandem, tot jam annis audaciâ graſſantem, ac imprudentiâ non ſemel ſed ſæpiùs Marcellum (ut quidem fore Tu ſæpe dixeras) vallo temerè ſuccedentem, prudens

Annibal, cujuſpiam manipularis telo miſſili confeciſti.

Hoc peracto, cùm multò ampliùs jam doloris quàm è Baſſæa cepiſſet gaudii, in attonitam & perculſam, ac caſu ſubito, ceu improviſo fulmine, conſternatam Galliam tranſmiſiſſes, huic Lendium, horis pauculis à te ſubactum, diebus pluribus rivis ſanguinis inquinandum reliquiſti; & Tu interim, ut nodo urbium Cortracum cingeres, Dixmudam perditam, ſtupente mundo, ut quaternis inſeſſam millibus, ceu exercitum exercitu obſediſti. Et terruiſſet quidem alios operoſa ſpecies tantæ molis, Te accendit; & hoc in oppido cùm Corſinium, & in Clanlevio Domitium, cum viginti quaſi cohortibus Pompeji, nactum Te intelligeres, æmulatione gloriæ vehementiùs inſtitiſti, quò & eventu rerum, & virtute pariter, divum Julium exhiberes. Et exhibuiſti etiam, FORTISSIME LEOPOLDE, & quamvis hoſtis Armenteriæ, quò Te abſtraheret, obſidionem, & Tuis caſtris, quò Te diſtraheret, oppugnationem minaretur; Tu tamen ad extremum, vel in ipſis oculis Tuorum hoſtium, in illo oppido hoc Corſinium, & in hoc Corſinio Domitium hunc

Æno-

Ænobarbũ, non fallaci poculo à Vafro Medico, ſed ipſius Numinis ſingulari gratiâ ſoporatum, totis cum legionibus, cohortibus & turmis ad Tua genua ſupplicem coëgiſti. Exarmare etiam, ponere vexilla, per urbes, oppida, caſtella, ſeptimanis aliquot circumducere, fractâ fide exemplo hoſtium Tuorum poteras; ſed Tu vexillis, impedimentis, armis omnibus relictis, Furnas protinus, fide integrâ clementiſſimè dimiſiſti; ne vitiis Tuorum hoſtium virtutem Auſtriam violares.

Et ita, PRINCEPS FELICISSIME, cùm ab adventu Tuo vix ſenis menſibus, Gallos hoſtes ab ipſo velut Capitolio Romano, alieni auri iniqua pondera librantes, væque victis ferro addito ingeminantes, inſigni clade Camillus alter ſubmoviſſes; bellum, ex tot annorum defenſorio, brevi tempore recuperatorium feciſſes; celeberrimum Ducem hoſtium, Gallorum Hectora, impunè quaſi annis pluribus pravâ libidine graſſantem, Achilles Belgicus expeditionis brevi periodo conſumſiſſes; terras terris, urbes urbibus, Liſam Oceano, Oceanum Belgio reſtituiſſes; verbo dicam, veniſſes, vidiſſes, viciſſes: Cortracum tandem, à ſolâ hyeme Tuis victoriis *Cortracum clauſit.*

ad tempus aliquod ſubductum, clauſum urbibus Tuiſque copiis, procul à Galliâ, commercio hoſtium, Lisâ flumine, mari, Oceano ſecreviſti; qualem ſcilicet Romani volebant ſupereſſe Carthaginem quæ non timeretur. Et, ſi ſucceſſuum Tuorum ordinem, victoriarum Tuarum curſum, Baſſæa unica non rupiſſet, proculdubiò, æſtate unâ, uno exercitu, quod æſtate non unâ pluribus exercitibus amiſſum fuerat, recuperaſſes; &, expugnatis intermediis, uſque portum Iccium, & extremos Morinos, laureatâ cuſpide ferro vindice penetraſſes.

Illius in rebus bellicis alacritas & vigilantia

Neque mirum id me herculè ſi virtutes Tuas, alacritatem illam, illam induſtriam, quâ in exitium Tuorum hoſtium excellis, in rebus omnibus conſideremus. Nihil enim vel oſcitanter aut perfunctoriè; nihil ſtrictim aut neglectim apud Te, LEOPOLDE, geritur; neque protrahis, nec procraſtinas, neque differs. Talis naturâ es; Te ipſum fallere non potes. Et ejuſmodi reverà Principem quoque Superi Te creavêre, ut in iis quæ ſunt agenda, ullo alio quàm Te ipſo ferè non indigeas; & alacritatem, induſtriam, celeritatem cælo datam, prudentia neceſſaria non deſtituat. Non alieno inge-

ingenio, ſed Tuo ſapis; non alienis oculis, ſed Tuis vides; non alienis auribus, ſed Tuis credis; non alieno ore, ſed Tuo loqueris; atque Tuo, non alieno judicio diſcernis. Felicitatem habes in concipiendo, judicium in diſponendo, fortitudinẽ in exequendo; ſed induſtriam in rebus omnibus, omni in negotio alacritatem. Hiſce armis Dei gratiâ, naturęq́; beneficio, cumulatè, largè, clementiſſimè inſtructus, ut Te totum, totum hominem, LEOPOLDUM integrum, totum Archiducem bono publico impendas, in publicum continuò procedis; ac Reipublicæ emolumento diei noctem, luci tenebras, ac ſomno modico longas vigilias conjungis. Etenim ſummo manè, antelucanis horis, jejunum, ſobrium, tecto progredi, ante principia verſari, aſtare vigili haud procul hoſte, inſilire vineas, inter milites jam vulneratos aut Te præſente mox vulnerandos, in udo cæſpite medium ſedere, ac erudito oculo, abeſſe vel adeſſe quid oporteat, notare, FORTISSIME LEOPOLDE, Tibi quotidianum eſt; & deinde refectionem, vix dimidiæ horæ ſpatio, numquam deſerto animo, tribuendam corpori, uſque poſt meridiem ſecundam ſæpiùs,

ſæpe

ſæpe tertiam, aliquando etiam in ſeram veſperam dilatam, citâ manu deproperare, ac dici noctíſve reliquum curis prioribus donare. Nempè utilitati patriæ detractum times, quidquid temporis hujus ſolatio, etiam detractum Tuo, in tuto non collocâris; nihilque factum quod non effeceris, nil perfectum quod non abſolveris, nil abſolutum quod Tuiſmet oculis non luſtrâris. *Omnium domus*, jure merito cum Philoſopho Romano dixero, *hæc Tua vigilia; omnium otium Tuus labor, delicias omnium Tua induſtria, & vacationem omnium Tua occupatio defendit.* Ex *quo* Belgio Te *dedicaſti, Tibi eripuiſti; ſyderum modo, quæ curſus ſuos explicant irrequieta.* Imò verò, quovis etiam Stoïco ſapiente meliùs, cum eodem exclamaveris: *Ego ſic vivam* (imò vivo) *quaſi ſciam aliis me natum, & naturæ rerum hoc nomine gratias ago. Quo enim meliùs genere negotium meum agere potuit? unum me donavit omnibus, uni mihi omnes.*

Conſol. ad Pol. c. 26.

De Vita Beata cap. 20.

Liberalitas erga milites.

Sic, profectò, PRINCEPS SERENISSIME; & magis Te talem etiam quotidianâ munificentiâ, liberalitate, gratiâ, in Tuo milite demonſtras. Quò enim ad obſequia, labores, prælia,

lia, porrigenda latera & haurienda, faciliorem habeas, vulneratos nunquam, nunquam ſaucios, lętoſque ſanguinem oſtentantes Tibi, niſi plenâ manu, clementiſſimus accedis : atque Tuâ hac ſalutiferâ, pretioſâ, gratioſâ dexterâ, multò generoſiùs quàm dictamno ullo, vel per ſomnium à Draconibus in Indiâ monſtrato, Alexander olim ſuorum militum, Tu Tuorum veneno vulnerum mederis. Quippe, dum ſuum eſſe Te totum vident, ut ſe ex toto Tuos eſſe viciſſim probent, vulnera à vulneribus, dolorem à dolore, atque ſanguinem ab ipſo ſanguine non recuſantes, Te volente, Te annuente, Te procedente, tamquã ad beneficum ſydus aliquod certatim advolant, latera objecti circumfuſique defendunt, occurrentibus periculis ſe opponunt; objicere ſe mucronibus Tuorum hoſtium etiam paratiſſimi, & vel ſubſternere ſua corpora, ſi per ſtragem humanam Tibi, ad ſalutem privatam, publicam, ſucceſſus, victorias, triumphos, ſtruendum iter videatur. Et quid mirum? ſi olim enim Africanus Scipio vel unico ſemel auri pugno irritatum generoſi militis pacare animum, ac poſteritatis ſimul gloriam potuerit promereri; quid ni Tu ſpiritum, mentem,

ani-

animum, vitam, ſanguinem paſſim omnium Tuorum militum, cum æternâ ſubſequentium ſæculorum gloriâ, promereâre, qui Te talem, qualis Scipio ſemel fuit, quotidianum exhibes; & Africanum, manu propriâ donando, non uni homini ſed exercitui, prope non momentis ſingulis Te demonſtras?

Moderatio, lenitas, & benignitas.

Quid ſi jam ad illam animi Tui moderationem, benignitatem, facilitatem, & virtutes alias veniamus, quibus optimum, prope ſupra hominem, Rectorem hominum Te manifeſtas! Gulam excipe, excipe incontinentiam, intemperantiam, ebrietatem; Alexander es. Virtutes enim Alexandri habes, vitia non habes. Non Lyſimachos per invidiam leoni objicis; non Calliſthenes per ſuperbiam occidis; non lanceâ, per vinolentiam, Clitos trajicis; non cruorem vino, mero ſanguinem immiſces; non in noctem, imò lucem, tincta purpurâ convivia producis; ac noviſſimè, immolatis aliis, Herculaneo ac fatali ſcypho Temetipſum mergis. Qualem enim Te eſſe vis, facis primò per temperantiam ut eſſe poſſis: vis autem eſſe Te quàm optimum; Alexandrum ſine temulentiâ, magnanimum ſine ſuperbiâ, genero-

ſum

ſum ſine veſaniâ, ambitioſum ſine vitio; non difficilem cum Majeſtate, non inclementem cum æquitate, ac juſtiſſimum ſine crudelitate; qui Siſigambim matrem, per clementiam, non dedigneris; qui formoſæ Roxani, per verecundiam, non inſultes; qui Hephæſtiones, Alexandros alteros, per modeſtiam non aſperneris; qui encomio virtutem hoſtium, Tuorum præmio proſequaris; atque tandem, qui Tuos milites, ſi caſus tulerit, non igne tantùm, vel ut ille regali ſolio, verùm etiam, ſi fieri poſſit, ſinu, ſanguine, cruore proprio refocilles. Deſtituêre Alexandrum ſuum, Gangaridis ac Pharraſiis, mediis Indorum in regionibus imminentem, ſuæ copiæ; & ambitionem ejus, ultra Indias ac Mundi terminos vagantem, Hypaſi ripâ, maris littore, ac ſinu Perſico circumſcripsêre: Te autem, CLEMENTISSIME LEOPOLDE, Te talem Principem, tam benignum, tam beneficum, tam lenem atque facilem, ſuumque illum ſine vitiis Alexandrum, non tantùm in Gangaridas aut Pharraſios, Mundique limites, ſed ultra maria Mundumque, ad Mundos etiam quos ingemiſcens ille ſtolidè deſideraverat, ſequerentur Tuæ, ſi imperares.

An-

Integerrimus & abſolutus animus.

Epiſt. 115

Annæus olim, cùm viri optimi, &, vel Stoïci ſapientis animum, ſuum extra domicilium humanis offerri oculis averet; *Quàm pulchram*, inquit, *faciem, quam ſanctam, quam ex magnifico placidóque fulgentem videremus, hinc Iuſtitià, illinc Fortitudine, hinc Temperantiâ, Prudentiâque lucentibus; præter has frugalitas & continentia, & tolerantia, & libertas, comitáſque, & (quis credat!) in homine rarum, humanitas bonum ſplendorem illi ſuum affunderent. Tum providentia cum elegantiâ, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima, quantum, Dii boni! decoris illi, quantum ponderis, gravitatiſque adderent? quanta eſſet cum gratiâ auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non ſimul & venerabilem profiteretur.* Quid hîc, obſecro, in viri optimi ac ſapientis animo, Philoſophus ille Stoïcus toti Mundo in ſpectaculum, an miraculum proponit, quod in Te virorum optimo, Heroum ſpeculo non videamus? Deus bone! Qualem optaverat, Tu repræſentas. Non mirum itaque, INTEGERRIME LEOPOLDE, ſi Tu Cælo, Terræ, Mundo, qualem volunt Te exhibeas, Tibi Cælum, Terra, Mundus, quales optas ſe exhibeant: atque,

atque, ſuffragante velut naturâ rerum, non Tibi tantùm Tui milites ad victoriam; ſed amici etiam hucuſque dubii, certam in amicitiam, nec ſine omine quidem optimo, coaleſcant. Illâ etenim manifeſtâ gratiâ Divini Numinis quid ominoſius? illo omine divinæ gratiæ quid manifeſtius? ipſo ſancti LEOPOLDI feſto, Unitarum Provinciarum Ordines, ceu ipſius Tuo citatos Genio, ſine ſchiſmate conveniſſe, in leges fœderis conſenſiſſe, & utramque paginam Pacis initæ ſuâ dextrâ ſuoque nomine corroboraſſe? Convenerunt, conſenſerunt, corroborarunt; quodque felix, atque fauſtum ac fortunatum toti Belgio velint Superi, diem illam, ejuſdem nominis atque ſanguinis Tui Divo ſacram, ſanctæ Concordiæ unanimes dedicarunt.

Concluſio cum adhortatione, ne ſe adeò periculis exponat, ſed bono publico ſe conſervet.

Perge, FELICISSIME LEOPOLDE, perge, inquam, per eamdem gratiam Divini Numinis, reſpiranti Belgio, an conſpiranti, Te penitiùs jam revelare, & è cerebro Divino Tuo, ceu cujuſdam Jovis, non effracto tamen, ſed ultrò bono publico ſe pandente, Pallas integra, ſpecioſa Pallas, quæ in partem ſe jam exhibuit, in ſalutem noſtram progrediatur; quò fortitudinis & ſapientiæ armis geminis, affe-

ctæ

ctæ Reipublicæ, prudentiſſimus ab uno latere ſis pacator, & ab altero potentiſſimus recuperator, & ab utroque feliciſſimus conſervator. Et pacabis proculdubiò, & recuperabis, & conſervabis, ſi, ut pacare, recuperare, conſervare poſſis, ſervare tantum Te libuerit; ac ſufflaminando nonnihil zelo, manifeſtis Te tot periculis non objectare. Liceat rogo, liceat, PRINCEPS INDULGENTISSIME, hâc in parte anxietatem totius Belgii non reticere. Nam & olim Q. Catulo & Hortenſio, cùm de mittendo in Pontum, Aſiam, & Mithridatem Cneo Pompejo Magno facundus Cicero perorarer, haud illicitum quoque fuit, Romani populi ſollicitudinem publicè profiteri; ne, ſi huic, Reip. Romanæ Clypeo ſpeique unicæ, adverſi quid accideret, damnum ingens in Rempublicam redundaret. Tu verè noſter, poſt Syllas aliquos & Lucullos, in Pontum noſtrum, noſtram Aſiam, Mithridatem noſtrum, ut Colchos cedas, ignoſcas Iberiæ, parcas Albanis, ac ſupplicem Mithridate cæſo Tigranem jubeas regnare, fata ultima ſi excipias, & Cneus es, & Pompejus es, & Magnus es: ſed & eumdem, quem tunc Romanum, Belgarum populum

pulum nunc timor habet; nimirum publica ne pericula privato periculo ſubmovendo, Tibi, noſtræ prope unicæ poſt Deum ſpei, ſcuto unico adverſi (quod abſit) quidpiam zelo nimio contingat; & eatenus detrimentum ingens in Rempublicam redundet. Et Pompejus quidem, laceſſitus etiam, haud temerè telis Parthicis ſeſe credidit; & imperium Romanum reverentiâ periculorum, Euphrate fluvio diſtinxit. An generoſæ magnitudini, maximæ generoſitati ſummi Principis repugnaret, Cnei Pompeii Magni quoque hac in parte providentiam æmulari; amore patriæ, cuivis hoſti non ſe credere, interdum de telo Parthico ſuſpicari, & foſſam quamlibet obſeſſæ urbis Euphratem fluvium interpretari? Scio avidam periculorum virtutem eſſe, ac eamdem quò tendat ſemper, quid autem pati poſſit numquam cogitare; & audaciæ lenocinium à cognato Tibique Principi familiari etiam dicto quæri, Auſtriacorum Principum, globo tormenti bellici, periiſſe nullum. Faxint Superi, GENEROSISSIME LEOPOLDE, ut quamdiu Veſtrâ in Auguſtâ Domo Tibi ſimiles naſcentur Principes, poſſit quilibet, queat ultimus, omnino idem

idem in Mundi termino gloriari: attamen nonnemo interim magnus ſapiens periculosè nimis philoſophatur, *Cuilibet evenire poſſe, quod cuiquam poſſit.* Quoties non fiducia, neglectis ſpei terminis, in fiduciam à ſpe progreſſa, per ſeipſam ſeipſam perdidit: & mala etiam granata quoties virtute nimiâ, importunis fœcunda corculis, ceu corde nimio dirupto corpore, in apertum quaſi parricidium non crepuêre? Gaſſionem certè non ita pridē à Te, PRINCEPS SERENISSIME, Marte valido feliciſſimè conſumptum, rem omnino ob nullam aliam, quàm eumdem *illum* zelum nimium, obnoxium tuis armis ut conſumeres fuiſſe vides; ac plus audaciæ quàm utilitati Gallicæ reſpondentem, nimiæ generoſitatis vitio ſuo exitio parentaſſe. Et, bone Deus! univerſum Belgium ut non inhorruit, cùm Tibi Principi, nudato galeâ, galeri limbum telo plumbeo ad Armenteriam aduſtum, ad Landracum, non à Te procul Palavicinio Marchioni equum medium tormenti bellici globo raptum; ac juxta molendinum ad Ballæam, penes tempora, ferrum ingens volitaſſe; Tuam illam Auguſtam faciem, illos oculos, ad hæc præſentia quoque Martis fulmina, incon-

inconnivos, contuſo latere, calce, pulvere, læſiſſe; & Joannem Adolphum Comitem Svvartzenbergicum, Tuum illum fideliſſimum quibuſvis etiam in diſcriminibus Achatem, Tuo periculo non mediocriter tum commotum, verecundâ manu, cum reverentiâ terſiſſe, intellexit. Ab eo tempore in Te, me herculè, PRINCEPS IMPERTERRITE, eamdem & avere & pavere etiam devotum Belgium virtutem didicit; ut cui durius, à miſeriis in victorias tranſlato, jam Te carere, quàm ſi Tui guſtum non habuiſſet. Ut eoſdem enim, miſeros quos reperiſti, felices reddere incepiſti, ejuſmodi ad amorem amore Tuo Rempublicam adegiſti, ut non niſi à felicitate in miſerias relapſu, poſſe Tuâ privari iterum præſentiâ videatur. Vivit illa jam Tuo ſpiritu, reſpirat illa jam Tuâ vitâ, & Tuâ animâ jam vegetatur; & uſque adeò vegetatur, reſpirat, vivit; ut omnino, niſi Tuo ſpiritu, jam non vivere; niſi Tuâ vitâ non reſpirare, nec vegetari etiam niſi Tuâ animâ ſe poſſe putet. Vive ergo, SERENISSIME LEOPOLDE, vive Tibi, ut vivas Belgio; ac cordis inſtar, altè pectori, diaphragmati, pulmonibus immerſus, obſequii ſequioris gloriam, lacer-

lacertis, manibus relinquens, Te Tuo Fratri Magno Cæſari, Te PHILIPPO Quarto Regum Maximo, Te Auguſtiſſimæ Tuæ Domui, Te Imperio, Te Germaniæ, Te his Provinciis, & bono publico conſerva.

DIXI.

PANEGYRICUS
Ser^{ma} Potent^{ma}
LUDOVICÆ
MARIÆ,
GONZAGÆ-CLIVIÆ,
Poloniarum Sueciæq; Reginæ,
SPONSÆ,
AD
SPONSUM REGEM,
Belgium tranſeunti, oblatus.

FATO Regibus Regniſque viduis, * an fortuitò jungi dariq́ue Principes, priſca ſæcula diſputârint; nobis oraculo Summi Præſidis deciſa veritas, ſancto decreto Superûm deſtinari. Ab æterno, ante Mundum, ante tempora, Mundi vices, viceſque temporum, ipſa Æternitas conſcripſit; & quid Aquilonem, quid Orientem, vel Auſtri, vel Occidentis, per altioris

thori vinculum, maneret, ſacroſancto pollice ſignavit. Hæret interim, & ſuſpenſus hæret humanus animus; & dum adhuc, quæ imminent, Divinæ mentis abyſſo latent, per diverſa palatia, ad diverſa Culmina, vagus errat; quæque Cælo petenda connubia, fruſtra humano calculo diſponit. Dum legit enim, loquitur, conjungit, ab eventu vario miratur ſępius, quàm longè ſui conceptus fragiles, à membranâ ſummi Numinis, ab alti Iovis diphtherâ divertant.

Certè viderat mortale genus PHILIPPUM GUILLIELMUM nuper, è Divi Julii Dictatoris caſtro, è patriâ verè Martiâ, * Æliorum, Orciniorumque, Romanum, Conſularem, Prętorium, Triumphalem, tum & Bojorum Regum, multorumque Cęſarum, auguſtum Sanguinem, ANNAM CATHARINAM CONSTANTIAM, Poloniarum Sueciæque Principem, tot Regum utriuſque Regni neptem, filiam, ſororem, poſt regalas nuptias, à ſuo Viſtula ad Danubium, ad Rhenum, auſpicatò deduxiſſe; ſed, cùm jam etiam VLADISLAUS viduus videret Orbem, & VLADISLAUM viduum videret Orbis, eandem Domũ, & eundem Sanguinem, acceperat qui ſpon-

* *Vide de hâc preſapiâ Principum Clivenſiũ, Pigii Herculem Prodiciũ.*

Sponſam, ſponſam VLADISLAO, Reginam Poloniæ, Dominam Sueciæ redditurum, tum demum credidit, cùm ex humano cæli ordinem intellexit. Vidit ſimul, ſimul ſtupuit, Stemma unum, unam Familiam, poſt tot Heroas, Duces, ſæcula, uno tempore, unoque luſtro, ut daret Principes & reciperet, uni Poloniæ reſervatam. Vidit, inquam, & illam Æliam, illam Orciniam, illam Cliviam BEATRICEM, ceu præcipuam tam glorioſæ, tam fortunatæ arboris radicem, quòd in tantum hunc eventum, ex ſuo Ælio, ſeu Helio Gracile, quaſi Solis filio, à dexterâ lævâque ramos, & ſimul aureos Clivenſes * radios, hinc latè, per Joannem alterum Miſericordem, in Germanias; inde, per Engelbertum, in Gallias & Longobardiam dimiſiſſet, digniſſimam illo nomine, imò & Beatiorem, & Beatiſſimam exclamavit. Exinde enim, & ex illo fonte, * Cygnus Clivius, ad undas alias alis felicibus evagatus, non minus Oderæ, non minùs Iſtro, non Axonæ minus, Moſæ, Ligeri, & Eridano, quàm ſuo Vahali, quàm Rheno patrio cœpit innatare.

Atque * hinc deinde, & ex illa GONZAGANA Familia, quæ, præ-

** Habet enim Principes, & ipſe Principatus Clivenſis, octo aureos radios pro inſigni.*

** De Cygno Clivio vide Pigii Herculem Prodiciũ.*

** Vide in Allizio ſtemma Principũ Clivenſiũ.*

ter innumera ſua decora, ELEONORAM Imperatricem, Auguſtam, & Conſortem nuper Capitis terrarum Orbis, adhuc ſuperſtitẽ oſtendit, Tu Sereniſſima LUDOVICA GONZAGA-CLIVIA, ceu Divina quædam Venus, non * illa quidem ex ſpumâ maris, nec illa Syria Cirroque nata, ſed illa velut tertia, Cæli & Diei filia, emerſiſti; atque non à Baccho, ſed ſummo Jove, omnes Gratias, nunc & Cupidinem, nec illum Erebi & Noctis, ſed honeſtum concepiſti. Digna, herculè, quæ ex tam altò, ceu Oceano quodam gloriæ, in hoc theatrum terrarum Orbis, jucundum Cælo hominibuſque ſpectaculum, proveharis, ac paſſim tot illuſtrium ſermonum nobile argumentum, hunc univerſum, ut jam pridem virtutum tuarum famâ ſic Sponſa Regia novo nunc, & quaſi uno generis humani, epithalamio Mundum impleas. Digna quæ non temerè, ſed ampliſſimæ Reipublicæ prudentiſſimorum Ordinum, Senatorum, Optimatum, maturo judicio, unoque labio, in Principem, in Reginam lecta, à tanto terrarum ſpatio, illâ pompâ, tot legationibus ambiaris. Digna quæ non uno diademate verticem auguſtum liges, tantique Regis,

** De trina hâc Venere vide Ciceronem de natura Deorum.*

Regis, tantique Regni, &, verbo ut dicam omnia, VLADISLAI placito in conſortium tantæ Majeſtatis venias. Digna denique, quæ Poloniam, quæ Lithuaniam, quæ tot Provincias, tot Regna, & Aquilonem, nunc Tuum etiam, novâ iterum felicitate beës; nec tantùm Tuum Ligerim, ſed Sequanam, ſed Ararim, ſed Rhodanum, ſed Padum, per Valeſios & Galeacias non ignota Sarmatis, partim & devota flumina, rurſus Viſtulæ, Bugo Bogoque, & Boryſtheni, & mari Balthico, rivo quodam, & illo ſacro ac perenni, amoris & benevolentiæ conjungas.

Dubitaverit * Romanus Sapiens, Hippotades; aut Pater Æolus, plus boni malíne, prole ſuâ, ſuisque ventis, generi humano conferat; certè ille Circius, aut Subſolanus; ille Boreas, aut Vulturnus, ſe Sarmatico probavit Orbi, qui DONHOFFIUM, Senatorē magnum, magnum belli Ducem, magnum Comitem & Palatinum, à Mariæburgo, Boruſſiâ, Dantiſco, & ſuâ Pomerelliâ, ad hanc tam abſolutam Principem, ad hoc Prototypon virtutum, ad omnis gratiæ Pandoram, & hunc velut Diis oriundum Sanguinē, quaſi Pharum Mundi, placidiſſimè direxit.

* *Seneca naturaliũ quæſtionũ lib. 5. c. 18*

rexit. Nec minùs gratioſi illi, non dicam Fauni, Dryades, Sylvani, agrorum nemorumque præſides, portenta veterũ, ſed altioris hierarchiæ illuſtrium Legatorum Genii tutelares, qui LESCINIUM, qui OPALINIUM, Concilii ſanctioris Apolectos, Principes, ac Paranymphos, per tot ac tanta viarum ſpatia, pericula, & anfractus, ſalvos tamen & incolumes, non in Acropolim ad prophana quædam Dionyſia, ſed, pro religioſis nuptiis, mox caſtro flammeo velandæ Principis, ad Sanctum Dionyſium deduxerunt. Gratioſus etiam ille Dieſpiter, qui deſtinato tempore, coruſcum & ipſe indutus ignem, pulſis nubibus, ceu citatus adfuit, & hoſce Pronubos, officio, perſonâ, vultu, gravitate, comitatu, ordine, ſplendore, pompâ, & inſolenti eò loci Septentrionis luxu, verè regios, in urbem, ad hanc Sponſam non minùs Regiam, equis, rhedis, curribus progredientes, tam officiosè, velut pars ſervitii, ſuis radiis, & auguſto jubare ſtipavit. Nuper Regina urbium, caput Orbis, cum Summo ſacrorum Præſide, cum Purpuratis Patribus, Roma ſtupuit, cùm ejuſdem Regis, ejuſdem Regni & Aquilonis Legatum Sarmatam totum Sarma-

matam conſpexit: & quia nondum viſa miracula decoxit, ex ſpeciebus illis illuſtribus ac ideis, ex ſplendidiſſimâ & nobiliſſimâ adhuc hærentium rerum imagine; & (brevibus ut loquar plurima) ex OSSOLINIO illo Principe, quis LESCINIUS, quis OPALINIUS nunc Lutetiæ; & Lutetia, quis Princeps OSSOLINIUS tunc Romæ fuerit, ex LESCINIO, ex OPALINIO, & utriuſque ingreſſu æmulo, poterit æſtimare.

Exurge itaque Sereniſſima Sponſa Regia, imò tantis, ac novis aſtris, regiè ſtipata, inſtar novi cujuſdam Sideris, non illius quidem primi * in Caſſiopeæ ſede, nec poſterioris etiam in Ophiuchi ſurâ; ſed iſtius, & perennis, & velut Sponſæ, inter illa duo, ceu binos paranymphos mediæ, in Cygni, quaſi Clivii Tui, pectore; vel auguſti Solis, cùm ſuavius Aquilonem afficit in Aſtræâ Virgine, Belgis, Batavis, Germanis, vicino & remoto Orbi exoriâre: ne videlicet minùs Scaldis, Moſa, Rhenus, Amiſia, Viſurgis, ac omnes reliquæ Saxonum ac Venedorũ Nymphæ, quàm Sequana, quàm pater Tiberis, ad Tuos radios ſtupeſcant. Exurge, inquã, velut altera * Reverentiæ & Honoris filia, non à trino illo, exercitûs,

** Hæc nova ſidera apparuerunt, in Caßiopea An. 1572 in Ophiucho Anno 1604. in Cygno An. 1600 Dicit auctor perennis, quia priora duo tandem evanuerunt.*

** Majeſtatem Deam, Reverentiæ & honoris filiam, veteres finxerunt.*

tûs,ſenatûs,populi,ſed Regnorum judicio,in hanc pompam & magnificentiã ſelecta,ut,non Romano more quatuor equis albis,victis & oneratis colla cathenis ante currum, à Legatis,à Tribunis militum,à Senatu,inter ſcurriles multas & ridiculas cum turpitudine quâdã voces,ab æde Martis,à viâ Appiâ & Capenâ portâ, per illam, quantumvis laxam, tamen unam urbem, in Capitolium,Joviſq; templum; ſed tot ſexigis,rhedis,curribus inauratis,præcedente liberrimi Septentrionis liberrimâ , & non niſi uno, eoque indiſſolubili, amoris vinculo conſtrictâ Nobilitate , à Legatis, à Senatoribus , ab Eccleſiaſticâ , à Civili purpurâ, & ſplendore æmulo jam non unius Regni, inter illas, & continuas , caſtiſſimo Hymenęo,& ſanctiſſimis Tuis auribus non indignas, congratulationes, per quot urbes, quot Provincias , tot Triumphos,abuſque Galliis in Sarmatiam , à Pariſiis Varſaviam , & quaſi Patris Liberi in ſacrarium divæ Cereris deducaris: non ut ibi,illorũ Ducum Romanorum inſtar, mactato tauro albo Jovi Capitulino lites & triumphalibus decedas; ſed in albâ veſte,feſta Juno,Tuo Jovi,in jugem Majeſtatem, in continuum triumphum nubas. Hîc enim

enim Te, ab amore, obſequio, & cultu, ſuis Regibus & Regnis, ceu Numinibus quibuſdam, devotiſſimę Nobilitatis, quotidianus, Regina, manet; & ille magis æſtimandus, quia à liberrimis pectoribus procedit; cùm & adorari Superi niſi à volentibus non poſſint, nec velint etiam niſi ſaltem ab animo generoſis. Hic Tę ab illo apice præeminentiæ Regalis, Hic à conſortio tantæ dignitatis, & immensâ illâ gloriâ Conſortis, quâ ille, non dico Mundum, ſed Mundos omnes, ſi tot eſſent quot ex atomis Democritus effinxit, jam univerſos dudum impleviſſet.

Sed, Regina, non Tibi Tuum Martem, Tuum Herculem, in ſago, chlamyde, paludamento, aut exuvio Leonis, impeſtivus offeram, qui nunc Sponſus Tibi Sponſæ, in toga, pallio, aut Dalmatica debetur. Habet paſſim, nec ab unâ manu, & armatas & laureatas effigies ejus Orbis; quamvis nullus adeò, veris lineamentis, vivis coloribus ipſius, ſtylus ſufficiat aut penicillus. Non ſi tres illos Rhodios, Polydorum, Agraſandrum, & Athenodorum, qui unam Trojani Laocoontis, tantoperè celebratam ſtatuam, conſilio communi olim effor-marunt, adhuc ſuperſtites videret Or-

bis, & quantum artificioſâ manu, tantum calamo & ingenio valerent, illum nobis debitè exhibuerint. Quicquid expreſſeris, quicquid delineaveris, plura tamen, quæ te fugiant, præterieris; manebitque ſemper, tanquam ab Apelle aliquo, quam nunquam rectè ſuppleas, dimidiata Venus. Solus videlicet ille novit, quâ Moſcos, & tot gentium unita robora, fortitudine; quâ Turcas & Tartaros virtute; quâ ſeipſum clementiâ deinde vicerit, qui, licet multa nobis miracula diſpenſet, ſcit tamen innumera ſibi supereſſe. Dignus, herculè, cui totam Daphnen omnes Superi in laurum transformarent. Certè poſt tot merita, victorias, & proſperos illos omnes, Chriſtianâ pro Republicâ, in ſolos barbaros, ſucceſſus, illi non Urbs ſed Orbis, nec in quintiduum, ut illa Julio, ſed perpetuum ut VLADISLAO, id eſt ſuo Servatori, triumphalia decrevit.

Et horum quidem, LVDOVICA, Tu à bello conſors: non pauciora interim ab alma Pace, quæ una innumeris potitur, Te Sponſam, Regina, manent; cui nempe Tuus Veſpaſianus etiam templum auguſtum, ingens, in Sarmatiâ conſtruxit. Hanc enim ille, poſt compoſitum Orientem & Aqui-

Aquilonem triumphatum, ob Martis & Bellonæ ſævientis furias, totâ propemodum Europâ exulem, gratis amplexibus ad ſe recepit; ut qui nôſſet, non minùs à Jano clauſo Auguſtum gloriæ, quàm Mutinâ, quàm Siciliâ, quàm Actio, quàm Ægypto, quàm Cantabriâ devictâ inveniſſe. Quippe nemo unquam hanc Divam coluit, cui non plus decoris ab unâ reverentiâ, & uno obſequio plus fructûs, quàm multis præliis, quàm victoriis pluribus redundârit. Hæc eſt enim illa & Provinciarum, & Regionum, & Imperiorum, & ipſius adeò Terræ matris cuſtos unica, quæ & Proſerpinam ejus filiam, tam ſpeciosè, & infinitâ cum utilitate noſtrâ, annis ſingulis ſenis menſibus, ad nos ſuperos, è Plutonis Regiâ redeuntem, in ſuâ gloriâ cõſervat. Videbis hanc, non jam dicam auri, quod Carpatii; non dicam ſalis, quem Wielicii; nec dicam marmorum, quæ montes Lechici paſſim pariunt: ſed immenſam illam hujus & illius Deæ gratiam, cùm aliquando aulonâ, ſeu thalamego Regis Maximi, Regina Maxima, inſtar Undigenæ cujuſdam Veneris, inter millia navium demiſſo velo Te venerantium, prono fluvio devehêris; Tuum-

q́ue Viſtulam,velut aliquo Amaltheæ cornu, ceu quodam Jaſonis vellere aureo,fluctuantem,Regiis oculis uſurpabis.

Verumenimverò non annumerabo Tibi jam univerſa decora, Regina;non gemmas & margaritas omnes, quas innumeras, uno VLADISLAO Tuo mille millies triumphalem porrigente dexteram, Pax auguſta Tuæ gloriæ, Coronis Tuis, Tuis Diadematibus connectet. Vides interim, nec fraudabis vota hominum, Regina; eandemq́ue Divam, quam magis à conjunctione veſtrâ, quàm magnâ illâ * nuperâ;Jovis & Saturni, bello feſſus Orbis nunc exſpectat; ceu Sponſam aliam, deſideratam diu, ab Hymenæo Tuo, à Tuis nuptiis, humano generi reduces. Ita enim, ut Te Pax, Tu viciſſim, Regina, Pacem; ut Te Orbis, Tu, Regina, Orbem; ut Te Triumphi, Tu Triumphos; ut Te gloria,Tu omnem gloriam; & ut Te Gratiæ,Tu omnes Gratias coronabis: ac mortales omnes, quòd Immortales velint, Te Sponſam ſemel nunc Regis Maximi, Paranympham in æternum generis humani, prædicabunt.

DIXI.

PA-

PANEGYRICA CONGRATULATIO,

Illuſi^mo Excell^mo Domino

D. GEORGIO DUCI IN OSSOLIN, COMITI IN TECZIN, S. R. I. PRINCIPI, &c.

CUM

Jam Supremo Cancellario Regni Sigillum majus, in pleno Comitio, à Rege Poloniæ traderetur,

VARSAVIÆ OBLATA.

C. Vellejus Paterculus
lib. I I. Hiſtor.

Magna negotia magnis adjutoribus egent.

Interéſtque Reipublicæ, quod uſu neceſſarium, & dignitate eminere; utilitatémque authoritate muniri.

PANEGYRICA CONGRATULATIO.

SI quid unquam in hoc terrarum orbe Auguſti nomen mereatur, ipſiſſima certè virtus eſt; à cujus exterioribus etiam lineamentis felix ille mutuare potuit, qui primus Auguſti nomen accivit. Illa enim eſt, quę

Stare loco neſcit,

nec lacernâ vili, aut angulo definiri, ſed, ruptâ caligine, in lucem ſurgit, & continuò, magnis auctibus, in proximam ſupremæ Mentis Majeſtatem proficit. Illa ſola eſt quæ eſt, & ſine quâ nihil eximium eſt; cujus radiis æternitas illuſtratur; gratiâ, cæli terręque favor procuratur; vires, nullis terminis circumſcribuntur. Quòd ut non ignorâſti GEORGI OSSOLINI (ad Te enim præfata omnia diriguntur) Auguſtiſſimæ hujus Virtutis (quæ numquam ab Illuſtriſſimis Majoribus Tuis diſcreta fuit) adoleſcentiæ Tuæ crepuſculo, faciem induiſti: & mox gratioſâ fronte, ut magnes ferrum non dico hominum, ſed Regum animos attraxiſti; & jugiter à tergo Forſ-

ceu,

ceu pediſequa, ſuccedebat. Pater & Filius, SIGISMUNDUS & VLADISLAUS, in Te ornando, Reges certaverunt; cùm unus utriuſque votis, illius Auguſtæ donis, ſufficere videreris. Recentem Ille è Muſarum Bellonæque caſtris (quorum una alteris immediatè ſucceſſerant) in Oceanum miſit, ut magnæ Inſulæ Regem, à Sarmatiæ Domino, ſalutares. Et tum quidem Fortuna, perderet an ſervaret, dubia videbatur, cùm naufragio ſpiritum libraret: donec tandem, Tuis gratiis allecta, quanti Te ſervaret, periculo, quo eripuit, demonſtravit. Scilicet rapere etiam Te Neptunus erubuit, quem, ceu è Jovis cerebro alterum, ſororium Minervæ munus reſervaret. Nunquam certè tam nobilem margaritam mare Britannicum in littus exploſit. Ergo, voti compotem, terræ & Sarmatiæ redditum, velut ſuum Pallas agnovit, extulit, & ſuæ, Regis, Reipublicæ, Tuæque gloriæ præparavit. Mox enim, à SIGISMUNDO VLADISLAO relictus, hujus nutu, Tyberim, Hadriam, Iſtrum; Romam, Venetias, Rati bonam; Pontificem, Imperatorem, & nobiliſſimæ Reipublicæ Ducem, trinum Culmen unâ gratiâ ſubiiſti; trino

Cul-

Culmini unâ facundiâ placuiſti. Et qui nullibi nec ulli parvus eras, magnus maximis apparuiſti: ſummè à Venetis honoratus, à Summo Pontifice Dux & UNICUS ſalutatus, ab Imperatore S. R. Imp. PRINCEPS creatus, in Sarmatiam rediiſti. Tantus alibi, minor eſſe Maximo VLADISLAO non potuiſti; Patriæ non debuiſti. Quod ergo felix, fauſtum, fortunatumque Superi velint (cùm nullibi ſanctiſſima res conſecrari ſanctiùs, quàm Sapientis dexteræ poſſe videatur) Tuis hodie manibus Sigillum Majus, in pleno Comitio, Rex, Senatus, Reſpublica commendavit. Quid jam circulabor? Eris poſteris Tuis Zamoſcius, immò OSSOLINIUS eris; &, poſt ſanctiſſima Tua Signacula, tandem unus è millibus SIGNATORUM.

DIXI.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

APPROBATIO.

S*Electi hi Panegyrici Clariſsimi Viri* Everardi Waſſenbergii *excudi poterunt.* *Hâc* 18. *Octobris* 1648.

Hen. Calenus, Archid. & Vic. Gen. Illuſt. Domini Archiep. Mechlin.